



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

Liber CLXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)



HISTORIÆ
 ECCLESIASTICÆ
 CONTINUATÆ
 LIBER CLXXIII.

GREGORIUS XIII. PONTIFEX MAXIMUS,
 MAXIMILIANUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Navarrae Regina unacum Filio suo ad
 Franciæ Aulam delata.*

Sæcul. XVI.
 A.C. 1572.

Cum interea Romana Curia variis
 motibus, qui semper ad novo-
 rum Pontificum electiones subsequi so-

Thu. l. 51.

p. 788.

Hist. Eccles. Tom. XLIX. A lent

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

*Mem. de l'É-
toile tom. I.
p. 20.*

lent (*) agitaretur, Franciæ Aula tragicum spectaculum, cujus mentio absque horrore fieri nequit, adornare parabat; cum enim Rex pacem cum Calvinistis magis, magisque firmam reddere se simularet, Navarræ Reginam invitabat, ut ad eum Parisios veniret, & nuptias inter Margaritam Regis Sororem, & Navarræ Principem propositas ad exitum deducere curaret: itaque Navarræ Regina iter aggreditur, instante Rege, qui, ut sua consilia feliciter teget, ipse Blas usque obviam processit, eamque multis amicitiarum signis excepit. Paulo post Reginam Matrem suam sequebatur Navarrus Princeps, qui unacum Condæo Principe, Comite Rupifacaldio, & Nobilium quamplurimis Blas venit, ubi de connubii istius rebus actum est, omnesque articuli mutuo consensu firmati die undecima Aprilis rati habebantur.

§. II.

Navarræ Regine obitus.

Per-

(*) Quinam autem fuerint hi motus, Continuator indicare non audeat, cum omnes Scriptores saltem post hanc electionem cuncta in summa pace, ac gaudio fuisse transacta memorent.

Peracto hoc negotio Navarræ Regina paulisper Blesis subsistens die decima quarta Maji Lutetiam Parisiorum venit, ut ibidem ea, quæ nuptiarum celebrationi necessaria erant, pararet, porro eadem sibi hospitium delegit in ædibus Caroli Gillarii Carnutum Episcopi, qui jam Protestantium doctrinam propalam amplectebatur.

Verum ibidem die decima proximi Mensis Junii anno ætatis suæ quadragesimo quarto vivis excessit, ac testamento cavit, ut absque ulla funebri pompa in eodem tumulo, ubi Henricus ejus Pater erat reconditus, terræ manderetur: insuper Filio suo injunxit, ut eandem fidem, in qua esset enutritus, constanter profiteretur, eaque decreta, quæ ipsa Bearnii, atque in inferiori Normannia promulgari jusserat, immote servanda curaret, ac singulari cura Catharinæ Sorori suæ invigilaret: præterea eundem suum Filium, qui postea Navarræ Regis titulum sibi vendicabat, hæredem dixit, Regemque, Reginam Matrem suam, necnon Andegavensem, & Alenonium Duces rogavit, ut hunc Principem, ejusque Sororem suo foverent præsidio, eisque sectam suam profitendi libertatem indulgerent. Tandem Borbonium Cardinalem, & Colinium Admiralem nominabat, qui potremæ

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Tuan. l. c.
Mezeray
abrege chr.
tom. 5. p.

237.
Dupleix hist.
de France t.
3. p. 783.

Sæcul. XVI. fremæ suæ voluntatis iussa exequeren-
A.C. 1572. tur.

§. III.

Actum de exequendo Calvinistas trucidandi consilio.

Eo tempore Colinius suo exitio eo proximius accedebat, quo minus quicquam adversi suspicabatur, utpote haud obscuris amicitia, & benevolentia signis honoratus: hinc incassum etiam illum ejus amici hortabantur, ne speciosis hisce blanditiis nimium fideret: ipse tamen inter ipsius periculi sibi imminentis insidias malum omnino proximum esse nequidem levi suspicionem assequabatur, unice intentus, ut Franciæ Regem ad bellum Hispanis palam denuntiandum sollicitaret, oppido incurius, quatenus propriae suæ securitati prospiceret: quinimo nequidem infirmæ rationes, quas Rex validis ejus causis hoc bellum suadentibus opposuerat, illius tranquillitatem imminuebant: porro absolutis nuptiarum solemnibus, quæ inter Navarræ Regem, & Margaritam Franciæ Regis Filiam Parisiis die decima tertia Augusti hoc anno in Ecclesia ad Beatam Virginem celebrabantur, Carolus IX. Calvinistarum excidium maturare festinabat, ac propterea satellitum agmina ad urbem con-

voca-

vocabat, quæsito obtentu, quod Guisios, ne seditionem molirentur, continere pararet; ast his copiis vix Parisios delatis mox primæ eo tendebant curæ, ut de opportunis infestum, ac diu agitatum consilium exequendi mediis ageretur, ac Protestantium sæx ex universo Regno penitus exterminaretur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

§. IV.

Deliberatum hac de in re in Senatu.

Variaæ erant opinantium sententiæ in secretiori Senatu, qui præfente ipso Rege inter Reginam Matrem, Andegavensem Ducem, aliosque exploratæ fidei Viros hac de re habebatur: quippe nonnulli ita perorabant: „præprimis „e medio tollendus est Colinius; hoc „enim unicum erit medium, cujus ope „cuncti Protestantes eliminari poterunt, „nam dum hi ipsius necem a Guisiis „fuisse paratam credent, abs dubio „mox ad arma convolabunt, eo facilius „opprimendi, quo numero potentiores „sunt Catholici: si vero huic consilio „optatus deesset successus, saltem probrum hujus facinoris, ex quo Rex „haud parum utilitatis capiet, in Guisianæ Familiæ Viros rejicietur, iique „facile ad officium redigi poterunt, utpote æmulis destituti; de Protestantibus

A 3

„bus

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

„bus vero Principibus, [quos Rex suæ
„potestati subiectos habet, minime
„dubitandum, quin Rex illos, quam-
„primum perverſis conſiliariis ſeſe orba-
„tos cernent, a ſuis erroribus aver-
„tere, atque ad veram Religionem, &
„priſtinum obſequium revocare poſſit.”

Hæc coram Rege proponerentur :
aſt in Reginae Matris Senatu res poten-
tius urgebatur, atque Senatores hunc
in modum pronuntiabant : „Non modo
„Montmorentius, & Architalaſſus e me-
„dio tollantur, ſed etiam Guifii Prin-
„cipes, quibus Regina tanquam gravi-
„ter, & multiplici a ſe olim offenſione
„læſis, nequaquam fidere, aut parce-
„re debet, occaſione capta trucidentur ;
„ſi enim Proteſtantes Colinii mortem
„ultum irent, ipſi una, & Momoran-
„tii, tanquam in eo conſictu viribus
„inferiores a plebe opprimentur : inter-
„ea vero Rex contracto ad Luparam
„milite numeroſo, quem penes ſe ha-
„beat, tanquam ſpectator otioſus perſi-
„ſtere poterit : demum vero cædendo
„fractos, ac debilitatos ipſe etiam poſt
„rem conſectam, perinde ac ſi ſine juffu
„ſuo, & per ſeditionem arma ſumpſiſ-
„ſent, occaſione inde ſumpta eos inva-
„det, atque ad unum omnes, unaque
„proceres tanquam his, aut aliis ad-
„dictos interfici jubebit.”

§. V.

§. V.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.*Architalassus ex Lupara egrediens
sclopeti ictu saucius.*

Huic cruento consilio, quod tum agi-
tabatur, feria sexta vigesima se-
cunda Augusti die datum est initium;
eadem enim die Colinius Regem, qui
ex sacello prope Luparam exhibat, uf-
que ad Sphæriterium comitabatur, cum
autem inde ad domum suam in Beli-
siana platea sitam unacum duodecim,
aut quindecim Nobilibus reverteretur,
ac monasterium Sancti Germani Antif-
siodorensis lento admodum pede per-
transiret, ac quemdam libellum suppli-
cem forte sibi porrectum perlegeret, sclo-
peti ictu petebatur ex fenestra illius do-
mus, quam Petrus Pila Villemurius
Canonicus, ac quondam Guisii Ducis
Moderator incolebat. Hic Sicarius
erat Nicolaus Luvierus Morevellius Bria-
oriundus, Vir audax, & vindictæ cu-
pidus, qui olim Guisii Ducis Ephebus
ob Valdræi Moji necem sese celebrem
reddebat: porro ex tribus globis, qui-
bus sclopetum erat oneratum, unus
dexteræ indicem Architalasso abstulit,
alter vero in brachium sinistrum prope
cubitum vulnere magis violento pene-
travit, ubi mox Colinius nihil vultu
turbatus dicebat: „hunc fructum repor-

*Thu. l. 52.**p. 816.**Hist. de la**Monarch.**Franc. par**Marcell. t. 4.**p. 669. entre**les preuves.*

A 4

„tavi

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

„tavi ex mea cum Guisio Duce recon-
 „ciliatione : „ in super eodem tempore æ-
 des, undeglobi evolarunt, indicabat : igitur
 confestim facto in hanc domum impetu,
 refractisque foribus, cunctisque locis
 sedulo perlustratis sclopetum reperiunt
 unacum ancilla, ac puero cursore, qui
 ibi mox captivi vinciuntur, Sicarius vero
 statim per posticum equo conscenso ad
 Antonianam portam pervolavit, ubi
 mutato equo, & alio ad id destinato
 rursus conscenso aufugerat : Colinius
 vero Regi, quid actum esset, significari
 vulnusque suum curari iussit, ac demum
 ad suum palatium, quod sat vicinum
 erat, Guerchio, & cuidam Nobili inni-
 xus pedes pervenit : porro cum in iti-
 nere moneretur a quibusdam ex suo comi-
 tatu, ut attenderet, ne globuli illi,
 quibus vulneratus erat, venenati es-
 sent, respondit, nihil eventurum, nisi
 quod Deus decrevisset.

Ceterum Rex Navarrus, Condæus
 Princeps, & Rupifacaldius Comes præ-
 ter alios Proceres Calvinistas de hoc
 facto certiores facti quantocius Archi-
 talassum adeunt, Ambrosius autem Pa-
 ræus Regius Chirurgus eo accersitus
 digitum amputabat, ac sinistrum bra-
 chium in duabus partibus, quas globi
 læserant, sæpius incidere cogebatur.

§. VI.

§. VI.

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

Rex ob hoc facinus vehementem indignationem simulans.

Adhuc dum Rex pila ludebat, dum hujus facinoris nuntium acceperat, *Thu. l. 52. p. 811.*
moxque vehementem indignationem simulans reticulum in terram projecit,

atque ira commotus dixit: „ergone nunquam quiescere potero, semperque novæ indies turbæ?“, postea Sphæristerio excedens Lugaram secessit, palam professus, quod tanti sceleris auctorem severe punire vellet: insuper Guisium Ducem capi jussit, qui tamen jamjam fuga evaserat: interea Navarrus Rex, & Condæus Princeps de facti indignitate querentes ad Regem contendunt, petuntque, ut nunc, quando sibi, ac suis Lutetiæ secure subsistere non permetteretur, saltem cum bona ipsius gratia eis liceat discedere. Ad hæc Rex adhibitis vehementioribus, quam antea, diris fidem suam obstringit, se de percussore, auctoribus, fautoribus, ac consciis eas pœnas sumpturum, quæ Colinio, ejusque amicis satisfacerent, ac ceteris in posterum exemplo forent futuræ: id vero, quod factum est, tam sibi displicere aiebat, quam cui maxime, sed quando id infectum fieri non possit, de remedio se accurate cogitaturum, facturumque spondit, ut omnes intelligant, vulnus Colinio

A 5

qui-

Sæcul. XVI. quidem esse inflictum, intimum autem
 A.C. 1572. ejus sensum ad Regem pertinere: por-
 ro ejus rei ut ipsimet testes sint, neve
 Lutetia excedant, Navarrum, & Con-
 dæum rogabat. Mox etiam dicentem
 excipiebat Catharina, quæ aderat, &
 Regi, non Colinio factam injuriam te-
 stabatur, eoque tandem evasuram esse
 licentiam augurabatur, ut ipsum aliquan-
 do Luparæ in suo Palatio aggredi au-
 deant, si hoc impunitum facinus relin-
 quatur: itaque suadebat, ut omnes ca-
 pesserentur rationes tanti sceleris acer-
 rime vindicandi. His verbis indigna-
 bunde prolatis placabantur utcunque
 Navarræ Rex, & Condæus Princeps,
 qui nihil simulate agi credebant, ita, ut
 de discessu ex urbe nullum amplius ver-
 bum facerent.

§. VII.

Inane studium pro capiendo Sicario.

Postmodum Rex illico in Sicarium, cu-
 jus nomen adhuc ignorabatur, in-
 quiri jussit, deditque Parisiensi Prætori
 negotium, ut ubique Satellites ad An-
 degavenlis jussa paratos disposeret, cun-
 ctasque urbis portas occluderet, exce-
 ptis duabus, per quas annona infere-
 batur, eas tamen Rex valido custode
 muniri præcepit: postea Christophorus
 Thuanus, Bernardus Prevotius Morfa-
 nus

nus Curiae Præsides, & Jacobus Viola Sæcul. XVI.
 Senator, ancillam, & puerum in Ville- A.C. 1572.
 murii absentis ædibus captos seorsim in-
 terrogabant, & ambo fatebantur, quod
 ante paucos dies Villerius Challius Gui-
 fianorum Principum cliens ad Villemu-
 rii ædes militem quemdam adduxisset,
 cujus tamen nomen se ignorare dice-
 bant: ergo Challius mox comprehendi
 jubetur, nullibi tamen reperitur: hinc
 Rex perscribebat ad omnes Provincia-
 rum Præfectos literas, quibus factum
 detestabatur, significans, sibi sum-
 mopere hoc facinus displicere, ac brevi
 fore, ut tanti criminis extet apud o-
 mnes severissimum exemplum.

§. VIII.

Colinius Regi colloqui efflagitans.

Fervente hoc tumultu Architalassus Thu. l. 52.
 mira animi tranquillitate potieba- p. 812.
 tur, quem etiam Damvilla, Cossæus, & Hist. Mo-
 Villarius Marecalli invisebant, illisque narch. l. c.
 cum eo de funesto hoc fato differentibus p. 572.
 reposuit: „vero ex animo vobis affirmo,
 „nihil me mors terret, hinc si spiritum,
 „quem a Deo accepi, ipse a me re-
 „poscet, eum libentissime illi reddere
 „paratus sum, sed magnopere exopta-
 „rem, ut antequam e vita demigrem,
 „mihi alloquendi Regem facultas detur,
 „nam habeo quædam ad ipsum, ac re-
 „qui

Sæcul. XVI „gni salutem, & dignitatem pertinen-
 A.C. 1572. „tia, quæ, certo scio, nemo vestrum
 „auderet ad illum deferre. „

§. IX.

Rex Colinium invisens.

Mox igitur Damvilla hac de re certio-
 rem reddidit Regem, qui etiam
 paulo post Colinium visum ibat, co-
 mitantibus eum Regina Matre sua, An-
 degavensi, & Alenfonio Ducibus, nec-
 non Cardinale Borbonio, Montpenfer-
 rio, & Nivernio Ducibus, pluribusque aliis
 præcipuæ nobilitatis viris: porro adven-
 tante Rege, ceteri omnes, qui in Archita-
 lassi cubiculo erant, discedere jubebantur,
 exceptis Telinio, ejusque conjuge, illo-
 que domestico, qui infirmo adstiterat:

§. X.

Colinii sermo ad Regem.

Paulo post Architalassus Regem his
 verbis alloquebatur: „Testis est mi-
 „hi Deus, ad cujus tribunal jam sisti
 „videor, quod ego, quamdiu vixi, fi-
 „dissimus semper erga Majestatem tu-
 „am, & addictissimus fuerim, hinc per-
 „petuo, & ex animo optavi, ut quam
 „florentissimum, ac quietissimum reg-
 „num diutissime obtineres: attamen non
 „ignoro, haud defuisse, qui me prodi-
 „torem, ac perduellem, & regni tui
 „perturbatorem appellarent: sed con-
 „fido

„fido Deum aliquando inter me, & il-
 „los disceptatorem futurum, apud quem
 „paratissimus sum, si ejus voluntas fe-
 „rat, ut e vita demigrem, illius meæ
 „erga te fidei, & observantiæ ratio-
 „nem reddere: porro cum a Rege Hen-
 „rico parente tuo multis, ac permagnis
 „honoribus cumulatus sim, quos Ma-
 „jestas tua mihi confirmare dignata est,
 „non possum pro fide, ac studio, quo
 „res tuas prosequor, non suppliciter a
 „te petere, ne tam præclaram rei bene
 „gerendæ occasionem prætermittas, præ-
 „sertim cum jam res non sit integra, ac
 „multa tui in Belgicum negotium animi
 „documenta, & quasi pignora extent,
 „ut tunc, si res inchoata relinquatur,
 „maximum regno tuo periculum impen-
 „deat: an non enim infamia vix audita
 „est, quod verbum in tuo sanctiore con-
 „silio proferri non possit, quin continuo
 „fere, antequam prolatum sit, nuntius
 „ad Albanum Ducem excurrat? an non
 „indignissimum est, amplius trecentos
 „vel nobiles, vel egregios milites præ-
 „lio Genlisiano captos, vel strangulatos,
 „vel alio supplicii genere crudeliter Al-
 „bani Ducis jussu affectos? interim ta-
 „men video hæc in aula pro ludibrio, &
 „jocandi, ac ridendi materia haberi:
 „tertium, de quo cum tua Majestate
 „agere cupiebam, est pacificatorii edicti
 „con-

Sæcul. XVI.
 A C. 1572.

Sæcul. XVI.
A C. 1572.

„contemptus, ab iis, qui jurisdictioni
„præfunt, profectus, qui fidem a te da-
„tam gravissime quotidie violant, cujus
„fidei, ac jurisjurandi etiam exteri
„Principes testes sunt: nihilominus,
„ut sæpe Majestatem, & Reginam
„Matrem tuam monui, non aliam
„certiorem pacis, otii, ac tranquilli-
„tatis publicæ tuendæ rationem existi-
„mo, quam si edicta religiose, ac seve-
„re ferrentur, sed illa usque adeo con-
„temnuntur, ut nuper die duodecima
„ejusdem Mensis Augustobonæ Tricaf-
„sium in Uxoris Condæi Principis clien-
„tes impetus fit factus, insuper cum
„illa ex edicti formula Villam nomine
„Insulam delegisset, in qua religio no-
„va coleretur, nuper tamen quidam
„interfecti sunt, cum ex concione in illo
„habitu domum reverterentur.

§. XI.

Regis responsum.

Ad hæc Rex Architalasso Colinio hunc
in modum reposuit: „habeo te mi
„Princeps, quemadmodum sæpe jam
„sum testatus, pro viro forti, ac fideli,
„& meæ dignitatis studiosissimo: deni-
„que unum te ex summis, ac fortissi-
„mis mei Regni Belliducibus judico,
„nec si aliam de te opinionem concepif-
„sem, ea, quæ jam tua gratia ipsius pere-
gi,

„gi, facere voluiffem: porro quantum Sæcul. XVI.
 „ad edictum a me nuper factum spe- A.C. 1572.
 „ctat, optavi femper, optoque etiam,
 „ut illud diligentiffime fervetur, ob id-
 „que viros ad id delectos, qui in eam rem
 „incumbant, per provincias mittendos
 „curavi, qui fi tibi suspecti erunt, alii in
 „eorum locum mittentur. His dictis, ut
 „fermonem abrumperet, subjecit Rex, vi-
 „deo te, mi pater, contentius loqui: porro
 „ea contentio tibi, & vulneribus office-
 „re poterit; hinc ea res mihi curæ erit,
 „rursusque nomen Dei dejerans, tibi
 „confirmo, me injuriam hanc uti mihi
 „illatam, in facti auctores severiffime
 „ulturum. Ad hæc Colinius reposuit:
 „non magnopere requirendus est facino-
 „ris auctor, nec dubia valde sunt indicia,
 „sed fatis est, quod Majestas se mihi jus
 „reddituram tam benigne pollicita fit,
 „hinc eo nomine, quam demiffiffimis ver-
 „bis possum, Majestati tuæ gratias ago.„

§. XII.

*Calvinistarum molimina, & Carnu-
tensis Vicedomini sententia.*

Postquam Rex unacum illis, qui eum Tim. l. 52.
 comitabantur, discesserat, mox Cal- p. 813.
 vinistæ Proceres habito consilio delibe-
 rare cæperant, ubi Carnutensis Vice-
 dominus ita perorabat: „nulla cau-
 „tella nostræ securitati prospectum
 „erit,

Sæcul. XVI. „erit, nec blandis Aulæ verbis fide-
 A.C. 1572. „dum nobis est: perspectum enim ha-
 „beo, quod plures Catholicæ Religio-
 „nis fautores Calvinistis, qui in Navar-
 „ræ Regis nuptiis e Templo Beatæ Vir-
 „ginis, ne sacro interesse cogerentur,
 „excesserant, dixerint, hanc anxietate-
 „tem brevi sublatum iri, ac fore, ut
 „Calvinistæ intra paucos dies Missam
 „audirent: insuper emissarii nostri re-
 „tulerunt, se a Caroli Gondii Regii
 „Vestiarum famulis percepisse, in hisce
 „nuptiis plus sanguinis, quam vini ef-
 „fusum iri, hancque tragediam a Coli-
 „ni vulnere inchoatam brevi cetero-
 „rum internecione esse absolvendam:
 „eapropter vobis consulo, ut nulla mo-
 „ra omnes Parisiis excedatis. „ Hæc
 Carnutensis Vicedominus prudenti sane
 consilio suadebat: verum illius execu-
 tioni obstitit Telinius.

§. XIII.

*Guisei Principes discedendi veniam
petentes.*

*Hist. Mo-
narch. p. 575.*

Altera die rumor per urbem volabat,
 quod Calvinistæ in Guisios Duces
 acerba quævis minitarentur, eapropter
 hi unacum Aumulio Duce Regem ad-
 eunt, eique præsentibus adhuc pluri-
 bus aliis hæc exponunt: „haud obscu-
 „re colligimus, nostra regiæ Majestati
 „obse-

„obsequia jam aliquo abhinc tempore Sæcul. XVI.
 „minus accepta esse, hinc petimus, ut A.C. 1572.
 „Aula excedere nobis liceat „ His Rex
 commotiorem animum simulans respon-
 dit: „quandocunque vobis placuerit,
 „abire poteritis: si vero insultus in Ar-
 „chitalassum attentati reos vos depre-
 „hendero, facile vos reperire poterō.
 „Accepto hoc responso ipsi valido comi-
 tatu stipati, equisque vecti discedere
 parabant, quamvis illi ex Parisina urbe
 nequidem excefferint.

§. XIV.

Reginæ Matris consilium de exterminandis omnibus Calvinistis.

Post prandium Regina Mater Regem, Hist. de Mat-
 Andegavensem, & Nivernium Du- thieu l. 6.
 cem, Tavannium, & Rhetium Comi- Mem. de Ta-
 tem ad hortum suum, qui vulgo *Tegu- vannes.
larius dicitur, secum educit, atque hæc
 exponit: „capti jam tenentur illi, qui-
 „bus jam diu insidiæ fuerunt structæ,
 „& quidem Architalassus utroque bra-
 „chio saucius lecto affigitur, neque mo-
 „vere se potest: Navarrus autem, &
 „Condæus Princeps hospitio in arce Lu-
 „para excepti sunt, ac de noctu portæ il-
 „lorum clauduntur, ac ibi excubiæ lo-
 „cantur, ne inde fugere illinc compre-
 „hensi possint: porro ita Ducibus captis
 „non est metuendum, ne qui deinceps ex
Hist. Eccles. Tom. XLIX. B „reli-*

Sæcul. XVI.

AC 1572.

„reliquis tumultuentur: præclara igitur rei gerendæ facultas datur, nam unius horulæ spatio Calvinistæ omnes e medio tolli, stirpsque, ac nomen hostium, horumque impiorum hominum deleri poterit: nisi autem Rex hac opportunitate temporis utatur, non est dubitandum, quin tunc, si Archita- lassus, sicuti chirurgissem eidem faciunt, valetudinem recuperet, tota Gallia quarto civili bello propediem exardescat, quod prioribus longe crudelius erit: nunc ergo populo alias jam satis commoto fræna laxanda, nec voluntati Dei, qui moderata consilia exitum non habere voluit, reluctandum est: porro post rem confectam non deerunt rationes, quibus factum excusetur omni culpa in Guisios, quam illi invidiam libenter sustinebunt, rejecta.

Placuit omnibus Reginæ Matris consilium, simulque illud exequi decretum; Navarræ tamen Regem periculo esse subducendum communis omnium erat opinio propter regiam dignitatem, & affinitatem nuper contractam: de Condæo autem Principe major erat contentio, nihilominus hujus Principis dignitas, ac juvenilis ætas, necnon Ludovici Gonzagæ Nivernii Ducis auctoritas prævaluere illorum sententiæ, qui hujus quoque Principis exitium machi-

na-

nabantur; Gonzaga enim Nivernius, Sæcul. XVI.
A.C 1572.
cum eundem a cæde eximi percuperet, affirmabat, quod is in Regis fide, & obsequio constantissimus sit futurus, atque ipse hujus promissi sponfor existat, imo spes affulgeat, juvenem hunc Principem vel promissis, vel minis adactum hæresin abjuraturum. Igitur ab omnibus decretum, ut eidem parceretur.

§. XV.

Protestantes Proceres ad Colinium convocandi consilium.

Arrepto hoc consilio, solutoque Senatu decretum est, ut nocte sequenti, Tuan. p. 84
Hist. Monarch. p. 576.
priusquam dies illucesceret, cædis propositæ executio fieret, totiusque rei cura Guisio Duci, qui Architalasso summe infensus erat, committeretur: igitur cælo advesperante Rex mille ducentos sclopetarios partim ad fluminis oram, partim in variis plateis, nonnullos autem ad Colinii ædes disponi curabat, ubi etiam circumcirca potissima Procerum Protestantium, ac Nobilium pars sua habebat diversoria: insuper vicorum Præfectis, quos Decuriones vocant, injunctum, ut stationibus prompte assignatis cunctorum, qui Calvinis sectæ addicti erant, nomina describerent, eorumque tot, quot possent, in

B a

vici-

Sæcul. XVI. vicinas Colinii ædes contraherent: de-
A.C. 1572. mum vero ipsemet Rex tam alta voce,
 ut ab omnibus exaudiri potuerit, pro-
 hibuit, nequem ex Catholicis ad horum
 domus accedere permittant, cunctos-
 que, qui hoc mandatum violare præsu-
 merent, sclopeto trajiciant. His moti-
 bus, de quibus nonnulli mox Archita-
 lassum certiore reddiderant, haud pa-
 rum suspicio augebatur Protestantium,
 quorum quidam Regem adire, eumque
 de tota rei serie edoctum rogare jube-
 batur, ut regium aliquot armatorum
 præsidium tuendis Architalassi ædibus
 apponi præciperet. Ad hujus relatio-
 nem Rex attonitus hæere videbatur,
 ac Reginam suam Matrem accersens
 eandem non sine indignatione interro-
 gabat, unde ejusmodi fama fuisset exorta,
 ac populus conflata seditione arma ca-
 pesseret: „mox vero, reposuit Regina,
 „rebellionis a populo concitandæ ne
 „ulla quidem suspicio est; nam cuncti
 „duntaxat Regis jussa exequi parati
 „sunt: vestra enim Majestas præcepit,
 „ut omnes in suis stationibus immoti
 „subsisterent:„ ad hæc quantocius re-
 spondit Rex: nec id diffiteor, simul ta-
 men, ne ullus arma fumeret, prohi-
 bui: porro cum Calvinistarum Delega-
 tus quosdam milites præsidiarios sibi
 tradi peteret, ut tunc, si forte popu-
 lus

lus quicquam moliretur, saltem regii præsidii reverentia coerceri posset, Andegavensis Dux tum præsens eidem respondit: „ad vestra vota paratus est Cossenius unacum quinquaginta sclopetariis: cum autem hic idem Cossenius Architalasso summopere infensus esset, Delegatus reposuit, satellites ad cohibendum populum sufficere: „nequam, inquiebat commotiori animo „Rex, assume tibi Cossenium; eo enim „melioem seligere haud poteris., Igitur Delegatus recedens hanc rem sibi fat suspectam videri Thoreo Montmorentii Marecalli fratri, qui huic colloquio intererat, declarabat: nihilominus Regis iussis ad effectum deductis Cossenius paucis post horis cum suis quinquaginta Sclopetariis Colinii ædes custodiebat, duasque viciniores officinas pro statione seligebat.)

§. XVI.

Cuncta necessaria ad cædem a Guisio Duce parata.

Guisius Dux, cui tota rei exequendæ cura fuit demandata, sero ad notis initium Helvetiorum Ductores, ac quosdam Gallicarum cohortum Tribunos, qui urbem ingressi erant, accersebat, eisque palam hæc declarabat: „venit hora, qua ex Regis mandato de

B 3

„viro

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Sæcul. XVI. „viro Deo, & hominibus inviso, atque
A.C. 1572. „adeo tota perduellium factione pænæ
 „sumentur; nam nunc tenetur fera cas-
 „sibus irretita, hinc opera danda est, ne
 „elabatur: non ergo occasione tam op-
 „portunæ, ubi gloriosissimos de regni ho-
 „stibus triumphos reportare poteritis, de-
 „sitis, dum certe magis celebrem trium-
 „phum superioribus bellis omnibus fuso
 „regiorum sanguine nunquam retulistis:
 „victoria autem facilis est, & opima
 „spolia proponuntur, ac rei bene gestæ
 „præmia citra sanguinem consequi po-
 „testis. „ Juxta hæc consilia Helvetii cir-
 ca Luparam collocantur, quibus adjun-
 guntur quædam Gallorum cohortes,
 addito mandato, ut darent operam, ne
 quis ex Navarræ Regis, & Condæi
 Principis familia Luparano Palatio egre-
 deretur, Cossenio autem commissa est
 ædium Colinii custodia, atque quin-
 quaginta Sclopetariorum, ac quorum-
 dam peditum in vicinis ædibus excu-
 bantium manus ei attributa, ne quis
 inde elaberetur. Rebus ita composi-
 tis, Guisus Dux Joannem Charronium
 vectigalium curiæ Præsidem, qui nu-
 per in locum Marcelli Præfectus mer-
 catorum fuerat creatus, ad se vocat,
 mandatque, ut decurionibus significet,
 quatenus suos in armis esse juberent:
 ipsi vero in Prætorio urbis media nocte
 adsint,

adsint, ut, quid opus factu sit, intelligant: insuper Marcellum, qui Mercatorum Præfectura functus erat, Dux accersiri iussit, eumque de arrepto consilio certiolem fecit, minime dubius, quin non, & ipse ad hujus propositi executionem sua auctoritate concurreret, cum aliunde, quamvis suam dignitatem abdicasset, adhuc tamen populo percarus esset.

§. XVII.

Conventus in urbis Prætorio super hac re habitus.

Cum igitur præstituta hora una omnes Rectores, ac vicorum Magistri, Commissarii, alique in urbis Prætorio convenerant, tunc Charronius, quem nonnulli Guisianæ familiæ addicti, atque inter eos Entragins, ac Puygollartius comitabantur, ad congregatos ita effatus est: „Regis voluntas petit, ut cunctis ad Colinium, & alios perduelles, excindendos cunctosque in urbiscarceribus detentos armorum potestas fiat: igitur sedulo curetis, ut nemini parcat, nec in ulla Provincia impii homines celentur: sic vult, sic jubet Rex, qui & provisurus est, ut ceteræ Regni urbes Parisiensium exemplum statim sequantur: impetus vero faciendi signum erit, dum horologii Palatini tin-

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Thuan. l. c.
Dupleix hist.
de France t.
3. p. 789.

Sæcul. XVI. A. C. 1572. „tinnabulum sæpius pulsabitur; insignia
 „autem, ut nostri ab aliis internosci
 „possint, linteolum album in sinistro
 „brachio alligatum, & crux ejusdem
 „coloris pileis præfixa erit: dato igitur
 „signo armis bene instructi, animisque
 „intrepidi magno numero adsint omnes,
 „atque attendant, nequa perturbatio
 „oriatur, aut tumultus ante datum sig-
 „num fiat. „ Pronis auribus hæc im-
 „peria, & monita fuerunt accepta a de-
 „curionibus, regionum Præfectis, cen-
 „turionibus, ac Decanis urbanis, qui
 „summo, quantum rerum subitarum sta-
 „tus patiebatur, silentio se expediunt,
 „dispositis per plateas, & compita, sed
 „intra domos, suis stationibus: inter-
 „rim Guisus Dux, & Engolismensis E-
 „ques suos milites contrahebant, eos-
 „que in variis urbis regionibus dispositos
 „tenebant.

§. XVIII.

*Rex a Regina Matre sua ad hujus pro-
 positi firmitatem animatus.*

Thuan. l. c. Postmodum Regina Caroli IX. Mater
 circa mediam noctem verita, ne Rex,
 quem ad facinoris atrocitatem adhuc
 fluctuantem, ac nutantem animadver-
 tere videbatur, sententiam mutaret, in
 ejus cubiculum descendit, quo & con-
 tinuo Andegavensis, Nivernius Duces,
 nec-

necnon Biragus, Tavanius, ac Radefia-
 nus Comites, & paulo post etiam Gui-
 sius Dux venerunt, qui una omnes Re-
 gem in concepto consilio firmare nite-
 bantur, cum enim Rex ob criminis atro-
 citatem vacillare, ac quid decerneret,
 dubius hæere videretur, hi omnes ra-
 tionum fontes exhaurire satagebant, ut
 Regem ad rei decretæ executionem
 permoverent; porro cum is ad hæc
 hæsitaret, Regina eundem nonnulli ve-
 hementius increpare exprobat, quod
 tam opportunam a Deo oblatam occa-
 sionem, qua hostes suos plene debel-
 lare posset, intempestiva cunctatione
 haud elabi sibi sineret. Hoc sermone,
 cum quasi ignaviæ infimulatum se fen-
 tiret, nulla mora rem impigre exequen-
 dam imperat, eodemque temporis mo-
 mento Guisius Dux, Engolimensis E-
 ques, atque Aumalius, & Cossenius,
 qui & ipse ad Regem venerat, unacum
 pluribus tam Regis, quam Andegaven-
 sis Ducis satellitibus ad Coliniæ sedes
 concurrunt, ut dato signo rei exequen-
 dæ initium facerent. Sub idem tem-
 pus Nivernius Dux præcavere sollici-
 tus, ne ullus ex Calvinistis, qui in
 suburbiis erant, fuga elaberetur, Mau-
 gironio in mandatis dedit, ut præpri-
 mis illos, qui in suburbio Sancti Ger-
 mani latebant, percepto signo una omnes

Sæcul. XVI.
 A.C. 1572.

*Hist. de Mo-
 narch. dans
 les preuves
 t. 4. p. 580.*

Sæcul. XVI. interficeret: præterea ipse impense Regem, & Reginam sollicitabat, quatenus ei permitterent, ut cum suis Equitibus ex Parisina urbe excedere, & Calvinistas forte aufugientes intercipere posset: verum eidem hoc denegatum, unde accidit, ut horum plures, prout ipse probe prospexerat, pœnam fuga eluderent, proin Rex plene illo emolumento, quod ex hæreticorum suppliciis sperare poterat, potiri præpediebatur.

§. XIX.

Calvinistarum laniena in die Sancti Bartholomæi inchoata.

*Thu. l. 52.
p. 817.*

*Matth. hist.
l. 6.*

*Mem. de la
Reine Marg.*

Tandem armorum sonitu, atque in-
lito strepitu, & quidem hora adeo
aliena edito expergefacti Proceres Pro-
testantes, qui per hospitia vicina jussu
Regis diversabantur, pedem domo ef-
ferunt, & Luparam, quo concursus fie-
bat, tendunt, atque ab obviis percon-
tantur, quorsum tot armatorum concur-
sus, & faces ubique accensæ pertine-
rent? quibus tamen respondebatur, pa-
rari ludicrum certamen a Rege, ac no-
ctu accensis facibus arcem ad populi ob-
lectamentum studiose constructam esse
expugnandam, unde tot homines ad
spectaculum undique accurrerent; cum
nihilominus iidem ulterius pergerent, a
sta-

stationariis, qui prope Luparam erant, injuriose repelluntur, etiam convitiis laceffiti, cum ergo ex hisce Calvinistis unus pari injuria vicem rependere vellet, mox quidam ex Vasconibus miles ejus caput hasta sua feriebat, ceteris dein omnibus in Calvinistas confestim irruentibus, quo intellecto Regina Mater moræ impatiens cum haud ultra cunctandum existimaret, prompte Regem accedit, eumque monet, contineri militis rabiem jam non posse, hinc mature signum dari in arce imperet, alias verendum, ne tunc, si mora longior interponeretur, omnia confuse, ac præter ejus voluntatem acciderent. Itaque ejus jussu pulsatur Sangermani Antiodorensis templi tintinnabulum paulo ante diluculum vigesima quarta Augusti, quæ dies Beato Bartholomæo dicata tum in Dominicam incidebat.

§. XX.

Architalassi cedes a Cossenio, ejusque militibus vi effractæ.

Sub idem tempus Colinius, cum ob vulnerum suorum dolores somnum capere prohiberetur, Calvinii commentarios in Jobum sibi prælegi jusserat, mox tamen ex strepitu seditionem obortam intellexit, de egregia tamen Regis voluntate securus, ac plane certus
exi-

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Sæcul. XVI

A.C. 1572.

existimabat, plebem a Guisianis com-
motam esse, quam tamen, quamprimum prætorianos in sui, ac suorum defensionem dispositos conspiceret, protinus dilapsuram sperabat: imo nec suum errorem deponebat, nisi postquam magis adhuc crebrescente tumultu primas ædium suarum fores vi effractas, ac jamjam sclopeti in domus suæ area displosi ictum perceperat: tum vero, id quod erat, sed serius coniectans, lecto surgit, & veste nocturna sumpta in pedes ad preces faciendas erigitur, parieti innixus, præterea Merlino Pastori hæretico præcepit, ut junctis cum eo precibus ipsius animam Deo commendaret. Postea Labonus Architalassi famulus, qui claves ædium asservabat, a Cossenio jussus nomine Regis januam aperire, nihil mali suspicatus confestim aperuit; mox autem Cossenio ingresso Labonus obvius pugionum ictibus confectus periit: postea idem Cossenius cum suis militibus palatium vi occupans, Helvetios, qui in area erant, in fugam egit, & proximam ædium januam post se adductam uncis, & mensis ligneis, congestaque alia suppellectile firmavit, ex Helvetiis uno tantum in illo primo conflictu sclopeti ictu occiso tandem in scaldas Cossenius enititur, & ad Colinii cubile accurrit: Guisus vero Dux cum
Pro-

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Proceribus, aliisque, qui eum seque-
bantur, in area remanserat: demum
Ambrosius Paræus chirurgus, qui apud
Architalassum tunc erat, eundem ad-
monuit, ipsum a Deo vocari, ædiumque
fores esse effractas, nullaque ratione
amplius resisti posse. Ad hæc reposuit
Colinius: „video, quid agatur, quippe
„ad mortem, quam nunquam expavi, ac
„jam pridem animo præfensi, patienter
„subeundam paratus sum: o felicem
„me, qui me mori sentio, & in Deo,
„cujus gratia in spem vitæ æternæ
„erigor, moriturus sum: jam vero hu-
„manis præfidiis amplius nihil egeo, hinc
„vos amici quam citissime facessite, ne
„mea calamitate involvamini, vestræ-
„que olim uxores mihi mortuo male
„precentur, quasi exitii vestri causa ex-
„titerim: de cetero Dei præsentia, cu-
„jus bonitati animam hanc mox e cor-
„pore evolaturam commendo, mihi ab-
„unde est.„

Hæc verba Colinius nullo pertur-
batæ mentis signo mutatus pronun-
tiabat.

§. XXI.

*Colinius pugione confossus, ac per fe-
nestram dejectus.*

Postea Cossenius perfractis cubiculi for-
ribus irrumpit, ac cum alius quidam
Ger-

Sæcul. XVI. manus Guisii Ducis famulus nomine
A.C. 1572. Bemius, quem spuriam Lotharingii Car-
 dinalis filiam duxisse ferunt: concur-
 rerant insuper Atinius Tribunus, qui-
 dam Aumulii Ducis domesticus, Cobo-
 ranus Cardilacus Sarlabossius primarius
 legionum Præfectus, & Achilles Pe-
 truccius Senensis loricati omnes: Be-
 mius vero, qui ceteris prior cubile in-
 traverat, cum Virum in quadam am-
 pliori sella sedentem, ac nocturna vitta,
 necnon toga pellibus instructa indutum
 cerneret, illum his verbis alloqueba-
 tur: *Tunc Colinius maris Præfectus es?*
 ad hæc Colinius imperterritito vultu:
 „Hic idem ego ipse sum, tu vero juve-
 „venis canos meos reverere; ac mea-
 „rum virium imbecillitatem considera;
 „nihilominus quicquid feceris, vitam
 „meam nihilo breviorē efficies. „ Hæc
 loquenti Bemius gladium in pectus in-
 torquet, & eum retractum ictu transverso
 in os adigit: tum repetitis ictibus, quibus
 a Bemii fociis transfigebatur, Colinius
 tandem exanimis corruit.

§. XXII.

Colinii cadaver male habitum.

Thuan. l. c.
Monarch. l. c. **T**um Guisius Dux, qui in area cum
 ceteris Catholicis Proceribus sub-
 stiterat, Bemium accersens, eundem
 alta voce interrogabat, an res confe-
 cta.

Ita esset, Bemio autem rem ita confe- **Sæcul. XVI.**
 ctam respondente Guisius reposuit: **A.C. 1572.**
 „Engolismensi Equiti id persuaderi
 „non potest, nisi ipse cadaver videat,
 „ergo corpus per fenestram dejicite. „
 Igitur quantocius Bemius a Sarlabossio
 adjutus Colinii corpus in aream præci-
 pitat: cum vero illud ob plagas in fa-
 cie acceptas sanguine obtectum, de-
 turpatumque esset, nec facile dignosci
 posset, hinc Guisius Dux, vel Engolif-
 mensis Eques linteo cruorem per fa-
 ciem diffusum deterfit, agnitoque tan-
 dem eo, & cadavere, ut quidam ad-
 dunt, calcibus contumeliose impetito
 inquiebat: „enimvero hic ipse Colinius
 est, ipsum nosco. „ Postea unacum ce-
 teris e domo progressus: „Eja inquit,
 „commilitones, feliciter inchoata pro-
 „sequamur, ita Rex jubet, arripiamus
 „arma, nam hæc est Principis nostri
 „voluntas, ac disertum ejus mandatum: „
 quibus verbis sæpius repetitis, cum sta-
 tim insonuisset horologii palatini tympa-
 num, ad arma conclamatum est ubi-
 que, & plebs statim ad Colinii ædes
 accurrit, ubi tum quidam Italus Nivernii
 Ducis famulus Colinio caput amputans,
 illud ad Regem, & Reginam ejus Ma-
 trem defert, populus vero fors concur-
 rens eidem manus, pedesque abscindit,
 & cadaver integro triduo per omnes ur-
 bis

Sæcul. XVI. bis plateas raptat, tandem que ad furcas
 A.C. 1572. Monfalconias deportatum ferreis cate-
 nis suspendit: ast paulo post Francif-
 cus Momorantius proxima cognatione,
 & majore necessitudine mortuo conjun-
 ctus, qui se mature periculo eripuerat,
 per homines fidos nocte illud e patibulo
 transferri, & Cantiliæ in facello terræ
 mandari curavit.

§. XXIII.

*Populus Parisiis in Calvinistas con-
citatus.*

Mezeray t.
3. p. 388.
Thuan. p.
818.

Occiso Colinio omnes, qui vel obvii
 in ejus ædibus reperiiebantur, vel
 ibidem latebant, pari fato sublati fue-
 re: protinus vero milites ad rapinas ver-
 tuntur, arcisque refractis pecuniam, &
 alia pretiosa deprædantur, literis tan-
 tum, & chartis conservatis, quas Col-
 fenius ad Reginam Matrem detulit, pro-
 ut ipsa jusserat. Demum Nivernius, &
 Montpenferius Duces, necnon Tavan-
 nius per urbem armati volitant, & cur-
 renti plebi, atque ad cædem jamjam
 paratæ stimulos addunt, simulque per
 vicos, & compita sedulo divulgant, con-
 jurationem a Colinio, & sectæ suæ so-
 ciis initam fuisse contra Regem, Regi-
 nam, Regis fratres, ac Navarræ Re-
 gem, ac ipsum Condæum Principem,
 eo fine, ut postmodum regnum ad Rei-
 publicæ

publicæ regimen, normamque reducere possent, proin Catholici absque conscientiæ anxietate illos exterminare valerent, ac duntaxat vix unius horæ tempore illorum furorem prævenirent. Ceterum hanc conjunctionem raro Dei beneficio esse datam spargebant, proinde ne impiorum hominum, & capitalium Regis, ac patriæ hostium sanguini parcerent, sed in illorum bona ut prædam legitime partam involarent, cum ea sit Regis voluntas, ut pestiferum, ac serpentinum semen extirpetur, & sectario veneno extincto, nonnisi sola Religio Catholica in posterum floreat (*).

§. XXIV,

Plures Proceres hac in occasione trucidati.

Hæ adhortationes adeo artificiosæ, ac Religioni non minus, quam pro-
bitati, & humanitati adversantes haud suo caruere successu; quippe nec senibus, nec infantibus, nec prægnantibus parcebatur, cunctis promiscua cæde dele-

(*) Quantum Continuator horum Procerum verba in Catholicorum invidiam auxerit, Lector verba illius cum textu, quem citat, conferens, deprehendet.

Hist. Eccles. Tom. XLIX.

C

Sæcul. XVI.
A. C. 1572

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.
deletis: Telinius quoque Architalassi gener, cum jam multorum antea manus evasisset, tandem trucidatus est, nec minus Antonius Claromontius Renelii Marchio Porciani Principis frater uterinus, cui de Renelio Marchionatulis cum Ludovico Claromontio Buffio Ambosiano ejus consobrino erat, in Navarri comitatum Lutetiam venerat, quasi liti molestæ, quam ob eundem Renelianum Marchionatum habebat, finem tandem impositurus: verum alio longe, ac putaverat, exitu res peracta est; nam in eo tumultu, cum ad ædes suis proximas fugeret, tandem in Consobrini illum investigantis manus incidit, qui eum ob nullam rem magis, quam obliternum inimicum crudeliter obruncavit.

Præterea Marosinus Guerchius homo strenuus, qui pridie Colinium Architalassum rogaverat, ut sibi in ejus domo pernoctare liceret, cum oppressus vestes induendi spatium non haberet, pallio in brachium sumpto, & stricto gladio se contra percussores aliquamdiu defendit, nemine tamen ex hostibus suis interfecto, quippe loricati omnes erant, tandem multitudine circumfusa obrutus est.

Eodem tempore Franciscus Rupifalcidius Comes, Regi alioquin gratissimus, cum tamen post Colinium inter
Cal-

Calvinistas celeberrimus esset, eandem Sæcul. XVI.
 cum Architalasso fortem expertus est; A. C. 1572.
 Rex enim, quocum Comes tota ferme
 nocte jocabatur, illum quidem a morte
 liberari præcepit, hoc autem mandato
 ferius allato interfectus est: eadem quo-
 que calamitas Ruvrajum, Subisum, Ca-
 stegneratem, Bellomanerium Lavardi-
 num, pluresque alios Proceres, mag-
 nique nominis Nobiles involvit, qui
 aut pugionum, aut sclopetorum ictibus
 perierunt: ubi Franciscum etiam Nom-
 parum Gaumontium cum duobus filiis,
 quos paterno amore diligebat, in eodem
 lecto deprehenderunt percussores, qui
 eum non tam odio religionis, quam
 spe lucri una cum omni prole ad exi-
 tium petebant, hinc cum uno ex filiis
 suis interfectus est, alter autem exundan-
 te sanguine cruentus, cum se sub mortui
 Patris sui cadavere delitescens contra
 ictus defendisset, mortuum se simulavit,
 quem interfectores, cum eum mortuum
 putarent, in eo statu reliquerunt.

§. XXV.

Cædes in Luparensi Palatio patrata.

Pari etiam cæde in Luparensi regia Monarch. p.
 sævitum, ubi plures Nobiles Na-584.
 varræ Regis obsequio addicti gladiis oc-
 cubuere, adeo, ut porticus, & scalæ
 ferme ubique cadaveribus oblectæ cer-
 ne-

Sæcul. XVI.
A. C. 1572.

nerentur, ac infelices hi hæretici etiam usque ad regionum Principum cubiculum propellerentur, ubi Rex præfens, per fenestram prospexit, atque etiam exclamavit monens, ne quispiam ex Calvinistis elabi permitteretur: porro inter eos, qui Luparæ occisi sunt, præcipui erant Pardallanus, Sanmartinus, Navarræ Regis Moderator, Brossius, & præter alios Armandus Claromontius Pilius, qui cum nuper Angeriacum oppidum strenue contra Catholicos defendisset, ac nomen suum celebre reddidisset, horum odium incurrebat, dum autem nunc inter sicariorum agmina consistebat, ac occisorum cadavera cernebat, inclamabat: „Hæccine est Regis fides? hæc ejus promissa? hæc pax? at tu Deus optime Maxime oppressorum causam tuere, tantamque perfidiam, & immanitatem justus judex olim vindica;“, hæc verba tam alto proferebat sermone, ut facile a Rege percipi potuerit: postea exuto suo magni pretii pallio illud nobili cuidam sibi noto, qui circumstabat, tradidit, hoc habe, inquiens, a me tam infauftæ, atque indignæ mortis monumentum: porro is hoc munus aversatus est, qua conditione recusata, dicentique hæc Pilio mox hasta latus a quodam satellite transfixum est, quo ex vulnere ille

con-

concidit, ejusque corpus ad reliquorum
 acervum dejicitur, militibus ad illos,
 qui rem conspexerant, acclamantibus:
 „Hoc modo plectendi sunt, qui Regis
 „vitæ insidias struere non erubuerunt. „
 Dein Bellovarius, cum jam a longo tem-
 pore ex athritide decumberet, in lecto
 oppressus est: Grammontano autem in
 Vasconibus Domino, Joanni Durfortio
 Duracio, Joachimo Roaldo Gamacio, &
 Buchavario a Rege gratia facta est, qui
 in ejus fide se fore promiserunt, nec spem
 fefellerunt.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1572.

§. XXVI.

*Regis oratio ad Navarrae Regem, &
 Condæum Principem.*

Defervescente prima hujus cædis ra-
 bie Rex Navarrum Regem, & Prin-
 cipem Condæum ad suum cubile accer-
 fit, & præsentem secretiori Senatu suo
 hæc eis exposuit: „ab ineunte ætate
 „per tot annos bellis toties repetitis ma-
 „gno rerum mearum detrimento in re-
 „gno meo quies publica ab ipsis subditis
 „meis turbata fuit, nunc tandem Dei
 „beneficio inita a me ratio est ad omnes
 „bellorum causas extirpandas; occu-
 „buit enim meo jussu Colinius Archita-
 „lassus harum turbarum auctor, idem-
 „que supplicium nunc passim in urbe
 „sumitur de sceleratis hominibus, &
 „impia

Thu. l. 52.
 Matthieu
 Hist. l. 6.

Sæcul. XVI. „impixæ superstitionis lue infectis ; „ his
 A. C. 1572. præmissis Rex sermone ad Navarræ Re-
 gem, & Condæum Principem conver-
 so ita prosequatur: „nunquam obli-
 „visci potero, quanta ab ipso Condæo,
 „& a Vobis incommoda acceperim, qui
 „vos profligatis hominibus Duces obtu-
 „listis, & bella contra me seditiose ges-
 „sistis: hinc non deessent mihi justæ
 „hasce injurias vindicandi causæ, cum
 „ultra etiam nunc occasio mihi offerre-
 „tur, præterita tamen ob consanguini-
 „tatem, & recentem affinitatem, ve-
 „stramque ætatem denique vobis con-
 „dono, præsertim eoquod facta a vobis
 „non vestro, sed Colinii, & sequacium
 „ejus, qui meritas jam dant, aut mox
 „daturi sunt sceleris pœnas, consilio, &
 „culpa fuisse attentata credam: imo &
 „ea oblivione libenter sepulta volo, dum-
 „modo in posterum superiorum tempo-
 „rum offensiones fide sincera, & debito
 „obsequio farciatis, & egerata profa-
 „næ superstitionis doctrina ad Majorum
 „sacra, atque adeo ad Catholicam Ro-
 „manam Religionem revertimini, nam
 „unam duntaxat fidem, quam a Majo-
 „ribus accepi, in meo regno coli volo:
 „declarete igitur, num ea in re mihi
 „morem gerere velitis, alioqui sciatis
 „easdem, quas Socii vestri perpeffi sunt,
 „pœnas vos subituros, „

§. XXVII.

§. XXVII.

Sæcul XVI.
A.C. 1572.*Navarræ Regis, ac Condæi Principis
responsum ad Regem.*

Ad hæc Navarrus Regi hunc in mo- *Thuan. l. c.*
 dum respondit: „imposterum meam *Dupleix p.*
 „voluntatem plene Regiæ Majestatis *793.*
 „suæ arbitrio committere, ac omnibus
 „in rebus eidem semper satisfacere para-
 „tus sum: interim id unice rogo, ut
 „eadem promissi sui, necnon affinitatis
 „nuper contractæ haud immemor pon-
 „derare velit, conscientiæ libertatem
 „adeo caram esse, ut eidem nulla vis
 „inferenda sit, præcipue circa eam
 „Religionem, in qua quis a teneris est
 „enutritus, atque imbutus. „ De ce-
 „terò Condæus Princeps, quamvis præ-
 „sentaneum cerneret periculum, arro-
 „ganter tamen Regi sic respondit: „mihi
 „persuadere non possum, Regem, qui
 „fidem suam tam solemnè jurejurando
 „universis Regni sui Protestantibus ob-
 „strinxit, ulla ratione ab ea discessurum,
 „aut adversariis, inimicisque suis ea in
 „re auscultaturum: porro ab obsequio,
 „quod Regi debetur, hucusque nun-
 „quam recessi, atque in eadem submis-
 „sione perstiturum, ac ne latum un-
 „quem ab eo me recessurum spondeo:
 „quantum vero ad Religionem attinet,
 „ea imperari non potest: ecquidem de

C 4

„ca-

Sæcul XVI
A.C. 1572.

„capite meo, ac fortunis in Regis po-
„testate est, ut arbitrio suo, quid velit,
„statuat, Religionis vero, cujus noti-
„tiam a Deo accepi, huic soli ratio-
„nem mihi reddendam scio; itaque ra-
„tum apud me, fixumque est, nunquam
„ab ea Religione, quam veram esse
„certo novi, ne præsentis quidem vitæ
„discrimine, recedere.” Hoc responso
Rex ultra modum exacerbatus contu-
macem, seditiosum, perduellem, ac
perduellis filium Condæum appellita-
bat, ei denuntians, nisi intra tres dies
resipiscat, sectamque abjiciat, fore,
ut pervicaciæ suæ poenas capite luat.

§. XXVIII.

*Protestantes in sancti Germani Sub-
urbio latitantes fuga elapsi.*

Thuan. l. 6.
Duplex
pag. 793.

Latitabant in sancti Germani suburbio
plures Proceres secta Calvinistæ,
cunctaque necessaria data fuerant man-
data, ne eorum ullus fuga elabi posset:
Marcellus quoque veteranus Mercatorum
Præfectus Maugironio, cui in hoc
loco cædis exequendæ cura erat de-
mandata, ex militibus in urbe recens
contractis mille armatos submiserat;
cum autem Marcellus sægniter rem ad-
ministraret, interea Protestantes nun-
tium acceperunt, quod tota urbs tu-
multibus flagraret, ac incolæ arma sum-
psissent,

plissent, hinc hæretici una omnes con-
veniunt, quid agerent, incerti, eo-
quod plerique Regis fidei confisi, id sine
ipius jussu a Guilianis plebis seditiosæ
audacia fretis fieri sibi adhuc persuade-
rent: attamen cum adhuc dum delibe-
rarent, Guisus Dux, cum moras eas
impatenter ferret, evocatis e Lupara
prætorianis, dum ipsi naviculis sequa-
nam fluvium transmittabant, ipse ad
sancti Germani suburbium contendere
statuit, ubi cum ad portam Neslanam
ventum esset, tanta trahebatur mora,
ut Calvinistæ aufugiendi spatium nan-
ciscerentur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

§. XXIX.

Continuata hæreticorum strages.

Postea Guisus Dux Montgomerium,
aliosque Protestantium Proceres
Montfortium Lamorium usque infecu-
tus est, cum tamen Sanleodegarium
perveniret, fugientium vestigiis insistere
cessabat, Parisios reversus, ubi regii
Satellites quoscunque obvios occide-
bant, domosque hæreticorum spolia-
bant, ac plebs a decurionibus, & cen-
turionibus huc illuc circumvolitantibus
incitata in concives effundebatur, at-
que ad omnem intemperiem licentia
debachabatur, adeo, ut ex ipsis etiam
Catholicis quamplurimi occiderentur;

Thuan. l. c.

Sæcul. XVI. sæpe enim pro Calvinistis habebantur
 A. C. 1572. illi, qui vel divitiis abundabant, aut
 ejusmodi officiis insignes erant, quæ
 aliorum cupiditatem, invidiamque ex-
 citabant: insuper non raro etiam multi
 præteritæ injuriæ ultionem, aut pin-
 guem hæreditatem aucupandi avidita-
 tem explere satagebant.

Ceterum inter Protestantes in Urbe
 occisos numerabantur Annas Ferrerius
 Chapius jam octogenarius magni nomi-
 nis in Senatu Advocatus, & Jacobus Lo-
 menius Regi ab epistolis, quamvis enim
 is vitæ incolumitatem pactus esset, in
 carcerem tamen trudebatur a Joanne
 Parisiensi Satellitum Præfecto, quocum
 de Versalio fundo lis illi erat, illudque
 suo adversario vili pretio vendere coge-
 batur: nec tamen propterea a periculo
 exemptus fuerat, nam brevi postea jussu
 eorundem, quibuscum transegerat,
 interfectus est: insuper Magdalena Bris-
 soneta Theobaldi Longicollii Ivernii li-
 bellorum supplicum magistri vidua,
 Guilielmi Brissoneti Cardinalis neptis,
 de cetero femina lectissima, neque me-
 diocribus literis erudita, cum obsoleto
 habitu filiam Franciscam secum trahe-
 ret, ac una cum Joanne Spina notissi-
 mo hæreticorum Præcone, qui quon-
 dam Possiacensi colloquio intererat, urbe
 aufugeret, agnita a Sicariis, & ad eju-
 ratio-

rationes, quas illa constanter facere recusabat, frustra adacta, uncis percutiebatur, ac semianimis in fluvium ex litoris aggere deturbabatur: id vero cum nautæ animadverterent, mox concurrstantes eam lentis ictibus tandem summa immanitate trucidabant: Spina tamen Ministellus utpote ignotus inter turbam evasit: filiæ autem ob ætatem parcebatur superveniente Clemente Marcello, qui pro ea deprecatus est.

§. XXX.

Petrus Ramus trucidatus.

Insuper furentium rabies ad ipsa etiam Universitatis Collegia sese extendebat, ac præprimis notus ille Petrus Ramus, vel Ramæus illius victima cadere cogebatur. Is anno Christi millesimo quingentesimo decimo quinto in Veromanduis natus Patrem habuit patria Leodiensem, qui inde ejectus, ut vitam sustentare posset, carbonarium agere compulsus est: Ramus vero in Navarræ Collegio famulus postea tam felices in literis progressus fecerat, ut dein in regio Collegio Mathematicas scientias tradere juberetur: verum variis fortunæ fatis jactabatur; cum enim erroneas opiniones docuisse accusaretur, Petrus Danesius linguæ Græcæ Professor, ac postea Vauriensis Episcopus

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Thuan.
pag. 822.
Sanmarth.
l. 2. elog.
Spond. n. 15.
Bezalp. 43.
Et 36.

Sæcul. XVI. pus, necnon Joannes Salagnacus Theologiae Doctor, & Joannes Quintinus

A.C. 1572.

Juris peritus præter alios eruditos Viros Rami scripta, moresque discutere a Francisco I. jubebantur, qui etiam eidem Ramo silentium imponebant: verum is ad Cardinalis Lotharingii preces ab Henrico II. benigne pristino honori restituebatur, rursus tamen regnante Francisco II. lata Senatus sententia exauctoratus Parisiis excedere cogebatur, ne graviori adhuc supplicio plecteretur. Eo absente in Preleæ Collegio, cui olim præerat, ejus Bibliotheca fuit exspoliata, pace tamen Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio inita Ramus Lutetiam reversus denuo suum munus obiit: inchoato autem bello civili circa annum Salutis nostræ millesimum quingentesimum sexagesimum septimum Parisiis exulatum abire jussus anno sequenti in Germaniam auffugit: porro ex duabus epistolis, quas Beza ad illum perscripserat, non modo sat aperte proditur ejus cum hoc hæretico familiaritas, sed insuper ejusdem Genevam secedendi voluntas, quamvis Beza illum ab hoc proposito absterreret, exposita difficultate, qua Professoris munus ægre obtinere possset, vel si illud obtineret, nonnisi tenui admodum proventu

ventu contentus vivere deberet, præ-
 terquam quod ibidem Aristotelis doctri-
 na pro aris, & focis defenderetur, quam
 tamen ipse semper tam acriter impu-
 gnasset, ut hac de re Parisiis plures
 sibi hostes accersivisset.

Præterea Antonius Goveanus Lusitanus celeberrimus sui ævi Philosophus vehementer Petro Ramo adversabatur, majori autem adhuc odio illum Jacobus Carpentarius Claromontanus in Bellovacensi agro insectabatur, suamque in eum invidiam adeo exerebat, ut illum Parisinæ lanienæ involveret; cum enim Ramus merito vitæ suæ timens fervente tumultu in quadam cavea delitesceret, a Carpentario re comperta immisissis sicariis, qui eum prodebant, inde extractus, atque ad quoddam cubile ascendere jussus ibidem pugione transfossus periit, ejusque corpus per fenestram projectum est, effusis ejus visceribus, quæ Scholares per plateas sparserunt: cadaver vero virgis ignominiose diverberantes inhumane raptarunt. Ceterum Ramus Vir erat doctus, ac Philosophicis, & Mathematicis disciplinis apprime excultus, bonisque moribus præditus, plurimum ad literarum restaurationem contulit, insuper ad nova excogitanda aliorum animos excitavit, induxitque, ne amplius Aristote-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1572.

Sæcul. XVI
A. C. 1572

stotelis doctrinæ servilem in modum inhærerent: præterea instituit Mathematicam Scholam, cujus Professori annum proventum quingentarum librarum e facultatibus suis attribuit. Porro huius hæretici cædes Dionysium Lambinum linguæ Græcæ, ac latinæ Professore tantò terrore obruebat, ut in gravissimum morbum incidens post unius mensis spatium decederet, causâ huius mortis pariter Carpentario adscripta, quamvis aliunde similitates, quæ inter utrumque hunc Doctorem exortæ erant, nonnisi quasdam privatas opiniones circa Horatii opera respicerent; Lambinus enim Aristotolem, cujus opera moralia latine reddiderat, propugnabat, ceteroquin autem Religioni Catholicæ immota fide adhærens.

§. XXXI.

Generosum Nobilis Carducensis facinus erga suos hostes.

*Thuan. l. 52.
pag. 823.
Dupleix hist.
de France
t. 3. p. 791.*

Eadem die cædibus funesta heroicum plane facinus, memoratu dignum acciderat. Jam dudum duo Carducenses Nobiles, quorum primus Vezinius, Regius in Provincia Vicarius, rudis, ferocisque indolis vir, alter vero Reinierus animi mansuetudine clarus erat, sese odio plusquam vatiniiano insectabantur: cum autem Reinierus secta Calvi-

Sæcul XVI.
A.C 1572.

Calvinista Regi Navarræ addictissimus
 esset, ac cum eo ad aulam venisset, eo
 tempore Vezinius quædam officii sui ne-
 gotia pertactaturus pariter eo advenerat,
 qui absolutis in aula negotiis suis,
 cum jamjam discessum pararet, cam-
 panam in Ecclesia sancti Germani An-
 tistiodorensis pulsari percipit, ac cædi
 initium dari cernit: ergo de hostis sui
 sorte sollicitus, equum conscendit, at-
 que ad Reinerii ædes properans, ef-
 fractis foribus ipsius cubile ingreditur,
 dextera sclopetum, altera manu eva-
 ginatum ensen tenens, quo conspecto
 Reinerius Calvinista terrore perculsus
 e lecto suo profilit, atque in genua pro-
 volutus Dei misericordiam implorat, nil
 nisi feralem ictum certo expectaturus:
 cum ecce! Vezinius Catholicus adeo
 non hostem suum interimere cogitat,
 ut etiam eidem repente præciperet, qua-
 tenus mox vestes suas indueret, parato-
 que equo insidens auffugeret: ad hæc
 morem gerit Calvinista, & Vezinius nil
 ultra addens adversarium suum pro-
 spere e Parisina urbe educit, eumque
 Carducum usque ad arcem suam comi-
 tatur, quin toto itineris spatio vel ver-
 bulum cum eo loqueretur: tandem vero
 soluto silentio: „iam dudum, inquiebat, de
 „te vindictam sumere potuisssem, si oppor-
 „tuna voluisssem occasione uti: verum
 „salva

Sæcul. XVI. „salva Religione, ac honore meo id at-
 A C. 1572. „tentare nolui, tuaque virtus, ut peri-
 „culi mecum socius esses, te dignum
 „mihi exhibebat: igitur ex meis favori-
 „bus vivas, ac persuasum tibi habeas,
 „quod deinceps litem nostram mediis
 „inter Nobiles usitatis componendi vo-
 „luntatem adeo pronam in me exper-
 „turus sis, ac nunc me intentum vidisti,
 „ut te a præsentaneo periculo eriperem.,
 His Vezinii verbis Reinierus intimo sen-
 su tactus suo benefactori hæc reposuit:
 „conditione, quæ impleri nequit, litem
 „nostram onerasti, nunquam enim res
 „utrinque ad æqualitatem reduci pote-
 „runt: quippe tua erga me generosi-
 „tate mihi animum, vires, ac me de-
 „fendendi voluntatem eripuisti: nec
 „aliud mihi reliquum est, nisi ut te,
 „ubicunque volueris, sequar, vitam-
 „que meam, quam tibi debeo, in tuum
 „obsequium impendam., Prolatis his
 verbis Calvinista ulnis apertis in Vezinii
 amplexus ruebat, hic autem ferociam,
 animumque haud commotum ostentare
 statuens reponebat: tuum est eligere,
 an me tanquam amicum, vel inimicum
 habere velis, nulloque expectato re-
 sponso calcaribus equo impactis illum,
 quo iter suum confecerat, equum re-
 liquit, ac nequidem illum fors remit-
 tea-

tendum accipere, vel illius pretium
acceptare voluit

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Interea Parisiis cædes per septem omnino dies continuabatur, de qua referunt nonnulli, plusquam quinque hominum millia ibidem fuisse trucidata; quamvis enim Rex vespere in festo sancti Bartholomæi tubæ sonitu per universam urbem promulgari iussisset, quod quilibet ad sua reverteretur, nec e domo exiret, indicta etiam mortis pœna in eos, qui huic mandato refragaturi essent: hujus tamen edicti exigua habebatur ratio.

§. XXXII.

*Populus Parisinus reflorescente Alba
Spina ferocior factus.*

Ceterum populi furor augebatur occasione desumpta ex quodam rubi genere, quod oxyacantham, seu Albam Spinam vocant; hæc enim quantumvis ferme exsiccata, suisque foliis exuta, nihilominus in Sanctorum Innocentium cæmeterio eadem die alieno prorsus tempore flores progerminare cæperat: quamvis vero hic eventus forte naturæ vires non excederet, factiosi tamen rem velut prodigium deprædicabant, atque ad Deum referebant, qui vindictam ab hæreticis sumptam gratam habere hoc indicio testatur.

Thuan. l. c.
Spond. n. 15.
Duplex
pag. 739.

Hist. Eccles. Tom. XLIX.

D tus

Sæcul. XVI. tus esset: quapropter insolito tympanorum pulsu, ac Sodalitatibus solemnem supplicationem instituentibus Rex ipse hanc Spinam conspecturus accesserat: nec tamen a cæde cessatum, licet ex Calvinistis, qui fuga evaserunt, longe plures fuerint, quam qui morte debitas perfidiæ suæ poenas luisent.

§. XXXIII.

Rex hujus facinoris invidiam literis suis excusans.

Thucn. l. 52. Die vigesima quinta Rex, cum vel
pag. §24. hujus facinoris immanitatem ab-
Mezeray horreret, aut illius culpam in se solum
abrege rejici pertimesceret, ad omnes Provin-
chron. t. 5. ciarum Gubernatores literas dedit, qui-
pag. 255. bus hujus sævitæ invidiam in Guisii Principes exonerabat, hæc exponens:
 „in scio me, ac nolente seditio exorta est:
 „postquam enim deprehenderam, quod
 „omnes amici, ac Colinio consobrino
 „meo sanguine juncti vulnus ei inflitum
 „ulcisci statuisent, Guisii Principes
 „ut illos anteverterent, ingentem
 „nobilium, & Parisiensium manum
 „concitarunt, eorumque ope præsidarios
 „milites, quos ipse ego Colinio
 „attribueram, oppresserunt, & Colinium,
 „ac quotquot ex ejus necessariis
 „obvios habuerunt, trucidarunt, tan-
 „toque furore, ac vi per reliquas Urbis
 partes

„partes juxta hoc exemplum sævitur
 „est, ut remedium, quale optabatur,
 „in tempore adhiberi non potuerit, nunc
 „ecquidem seditio propter simultates
 „veteres inter duas familias jam pri-
 „dem natas concitata tandem sedata
 „est, cum vero hæc calamitas præter
 „voluntatem meam acciderit, exopto,
 „ut omnes intelligant, non propterea
 „ediçtum nuper factum ulla ex parte
 „violatum esse: quinimo severe præ-
 „cipio, ut illud ubique religiose obser-
 „vetur, diligenterque caveant omnes
 „Præfecti, ne in aliis urbibus mutuæ
 „cædes ex ea occasione perpetrentur,
 „neque alii in alios arma capiant, sed
 „quisque domi, in agro, & urbibus
 „quiescat, & a vi abstineat, pœna ca-
 „pitis in eos, qui non paruerint, san-
 „cita. Dein hisce literis addita erant
 hæc verba: hic sum cum fratre meo
 „Navarræ Rege, & Condæo Principe
 „consobrino paratus cum ipsis ejusdem
 „fortunæ discrimen subire. Ejusdem
 argumenti literæ a Regina eodem die
 scriptæ, non solum per Regnum, sed
 ad Helvetiorum comitia missæ, & re-
 gio mandato per Angliam, ac in di-
 versis Germaniæ Provinciis divulgatæ
 fuerunt.

Sæcul. XVI.

A. C. 1572.

Sæcul. XVI.

A. C. 1572.

§. XXXIV.

Rex Guisios in exilium amandare a Regina prohibitus.

Eadem die quidam ex regio Satellitio delecti per Gasparum Castreum Nancæi Comitem ex Regis mandato Castellionem ad Luparam mittuntur, qui Colinii uxorem, liberos, Andeloti item filios, ejusque conjugem comprehendant: verum Franciscus major natu Colinii filius, & Guido Lavallus pariter Andeloti major natu filius fuga jam sibi consuluerant; reliqui tamen capti, & cum omni pretiosa suppellectili, Lutetiam perducti sunt. De cetero Consilium Regis erat, ut statim, cum Colinii, & sequacium cædes patrata esset, Guisiani Principes urbe excederent, quatenus exinde magis, quidquid Lutetiæ actum esset, id ab ipsorum factione profectum fuisse, ab omnibus crederetur. Verum Regina Mater, & Andegavensis Dux præcipue, qui impotenti favore in Guisiorum partes propendebant, sese huic consilio opposuerunt, imo ipsum etiam Regem eo induxerunt, ut totius cædis invidiam a se derivatam fateretur, quo consilio arrepto Andegavensis Dux literas protulit, inter scrinia Telinii, ut ajebat, repertas, easque Momorantii manu scriptas, quibus idem Momorantius

Mare-

Sæcul. XVI.
A. C. 1572.

Marescallus post vulnus Colinio inflictum
 promittebat, se injuriam hanc, ac si sibi
 ipsi illata esset, in auctores, qui mi-
 nime ignorarentur, iisdem animis ul-
 turum, unde occasione sumpta Regina,
 & Andegavenfis Dux Regi demonstra-
 bant, eo loci res esse, ut tunc, si ipse
 in priori dissimulatione perseveret, Re-
 gni securitatem, fortunas, opes, &
 existimationem in manifestum discrimen
 vocaturus sit: „eo quod Guisiani
 „Principes, ajebant illi, cum de animo
 „Momorantii ex iis literis, & aliunde fa-
 „tis certi sunt, homines per se turba-
 „rum avidi, & earum causas ex qua-
 „cunque occasione aucupantes, arma,
 „quæ Regis jussu ad inferendam inju-
 „riam sumpserunt, nunquam posituri,
 „eaque privatæ salutis tutandæ, quam
 „ab inimicis peti dicunt, obtentu sem-
 „per retenturi forent, ac proin bellum
 „adeo non finiretur, ut etiam brevi il-
 „lius longe accerbioris flammæ accen-
 „derentur, iique Protestantes, qui ad-
 „huc supersunt, licet eorum res despe-
 „ratæ credantur, abs dubio tamen sese
 „Montmorantiis jungerent, novasque
 vires resumerent „

„Igitur tanti mali prævertendi non
 „alia est ratio, quam si regia Majestas
 „vestra, quæ facta sunt, tanquam suo
 „jussu executioni data, publica decla-
 „ratione

Sæcul. XVI. „ratione comprobet; sic enim rerum
 A.C. 1572. „arbitrium sibi assumere, & inde Gui-
 „fianos exarmare, indeque Momoran-
 „tianos, quo minus arma sumant, præ-
 „pedire, & postremo efficere poterit,
 „ut Protestantium res jam satis afflictæ
 „a causa Momorantianorum separen-
 „tur, rei vero invidiam extimescere
 „non deceat.,

§. XXXV.

*Rex in Senatu se cædis causam ex-
 stitisse fassus.*

*Thuan.
 pag. 826.
 Daniel hist.
 de France
 tom. 6.
 pag. 404.
 Mezeray
 l. c. p. 256.*

His rationibus expugnatus Rex fe-
 ria tertia die vigesima sexta Au-
 gusti unacum Andegavensi, & Alen-
 sonio Ducibus Fratribus suis, necnon
 Navarræ Rege, aliisque Proceribus ad
 Senatus Curiam perrexit, ac pro tribu-
 nali sedens de injuriis gravissimis, quas a
 Caspate Colinio, sceleratisque hominibus
 Religionis nomen falso prætextentibus
 jam a puero accepisset, questus, se tamen
 eas publicæ tranquillitati conditis pa-
 cis edictis condonasse ajebat: „Coli-
 „nius vero, prosequabatur Rex, ne quid
 „ad suum scelus reliqui faceret, etiam
 „conjuracionem in me, Reginam Ma-
 „trem, fratres meos, & in ipsum etiam
 „Navarræ Regem, quamvis hic ean-
 „dem cum illis sectam profiteretur, de-
 „lendos iniit, ut Condæum adolescen-
 „tem

„tem Principem in Regem crearet, ^{Sæcul. XVI.}
 „quem & ipsum postea interficere de- ^{A.C. 1572.}
 „creverat, ut seipsum, cum regia fa-
 „milia extincta foret, usurpato Regno
 „Regem constitueret: hanc igitur pe-
 „stem, licet invitus, cum tamen ali-
 „ter non possem, contraria peste extin-
 „guere, atque in extremis periculis
 „extrema remedia adhibere coactus fui,
 „ut impuram illam contagionem ex
 „Regni mei visceribus extirparem: om-
 „nes itaque intelligant, quicquid illa
 „die in supplicio de similibus sumpto
 „actum est, meo id imperio, & man-
 „dato actum esse, ut omnia tam de-
 „testandæ conspirationis mala præver-
 „terem. „

Postquam Rex suum sermonem ab-
 solverat, Christophorus Thuanus pri-
 marius Præses, ac noti historici parens
 oratione tempori accommoda Regis
 prudentiam plurimum exaggerabat: fi-
 nito autem ejus sermone Guido Faber
 Pibracius Fisci Præfectus e sede sua
 surgens a Rege petiit, an velit, ac ju-
 beat hanc declarationem in publica Cu-
 riæ acta ad conservandam rei memo-
 riam referri, sacrumque Ordinem, nec-
 non Justitiæ Ministros, de quorum de-
 pravatione nuper questus sit, emendari:
 insuper idem Pibracius postulabat, ut

D 4

Rex

Sæcul XVI. A.C. 1572. Rex præciperet, quatenus cædibus, & rapinis finis imponatur: ad hæc Rex respondit, quod primum caput præcipiat, de altero autem se curaturum spondit: ad tertium denique reposuit, quod publico præconio per omnia Urbis compita edici jamjam mandarit, ac iteratis jussis etiamnum injungat, ut a cædibus, ac rapinis in posterum abstinereatur. Hæc Regis declaratio in pleno Senatu facta multos attonitos habuit, unde Thuanus primus Præses, cum periculum ex ea impendens vereretur, ea, qua erat, animi libertate, in arcano Regem increpabat, ac maxima sinceritate clam magis, quam publice eidem exponebat, quod tamen etsi conjuratio a Colinio, & suis inita omnino vera esset, ipse potius juris remedio, quam publicæ violentiæ severitate contra illos uti debuisset.

Ceterum solemnes habebantur supplicationes, quibus populus certatim confluens, ac ipsemet Rex cum omnibus Aulicis Deo grates rependebant pro felici successu ejusmodi consilii, quod tamen Franciam ignominia, ac dedecore affecit, & ipsi cælo, cunctisque probis hominibus abominationi fuit: insuper monetæ cudebantur ad perpetuam

tuam memoriam talis facinoris, cujus Sæcul. XVI.
A. C. 1572.
postea haud immerito non sine horrore
mentio fieri potuit. (*)

§. XXXVI.

(*) Forte etiam cælo, probisque homini-
bus abominationi fuit severitas Eliæ, qui
Pseudo - Sacerdotes Baal interfecit, ut Dei
Religionem falso cultu labefactatam vindica-
ret: observandum tamen est, quod Continua-
tor, dum refert horrendas cædes, latrocinia, &
sacrilegas rapinas, quibus Calvinistæ sæpius
integras Catholicorum Provincias devastabant,
nunquam de nimia inhumanitate questus fue-
rit: nempe ex cantu noscitur avis. Audia-
tur vero judicium Patris Binner, qui hanc in
rem in suo eruditionis apparatu part. VII.
lib. 3. art. 6. fol. 503. hæc observat: *Hugo-*
notti in rabiem acti scriptis etiam libellis Regem
vehementer sunt insectati, qui tamen a doctissi-
mis Jurisconsultis, Jacobo Cujacio, & Vito
Fabro solide sunt confutati, & quo demum res
evaderent, si Regibus non esset integrum, in
rebelles subditos, quietisque publicæ turbatores
animadvertere? Nempe, ut volunt Sæctarii,
licuit Calvinistis sacra omnia contaminare, Re-
gnum evertere, conjurare, Regique insidias
struere, exterum militem in patriam armare,
multa mortalium millia iniquissime interficere.
At Regi sceleratos plectere non licuit, ut Re-
ligionem, & Regnum servet. Quod Politotus

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

§. XXXVI.

~~XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX~~Thuan.
pag. 827.*Regis edictum circa caedem in Festo
sancti Bartholomæi patrâtam.*

Eadem die, qua Rex in Parisiensi Senatu pro tribunali sedebat, edictum promulgari iussit, quo idem, prout nuperrime factus est, rursus hæc testabatur: „quidquid hac in re accidit, ex meo diser-

instigante Beza, & Colinio Franciscum Ducem Guisum, Religionis vindicem ceu sicarius, & latro occiderit, laude non caret: sed quod Rex eundem Colinium, per duodecim jam annos toties perduellem, tot publicis criminibus reum sustulerit, ingens scelus est. Laudant Calvinistæ Henricum III., quod Henricum Guisum, ejusque fratrem Cardinalem, sacri foederis capita, trucidari præceperit: sed quod Carolus IX. Casparem Colinium, Calvinistarum tunc caput, Gallia incendiarium, ad pœnam vocarit, facinus ipsis est, omni dignum opprobrio. Proprium Regem, inaudito exemplo, sententia velut judiciali condemnatum, carnificis manu obtruncant Calvinistæ in Anglia, & hoc laudibus eorum celebratum fuit. Solus Carolus IX. Rex Franciæ, rebelles subditos, proditores, & eversores patriæ, toties Majestatis reos, tollere e medio non potuit; sed tolerare debuit, ut pergant conjurare, insidiari, mactare, perdere, totumque regnum in extremas calamitates conjicere.

„diserto mandato gestum est, non ex Sæcul. XVI.
 „Religionis odio; aut ut meis de pa- A. C 1572.
 „cificatione edictis derogem, quæ ego
 „etiamnum rata esse, & sancte obser-
 „vari volo, sed id factum, ut nefariæ
 „Colinii, & Sociorum conjurationi ob-
 „viam irem: itaque volo, ac jubeo, ut
 „omnes Protestantes domi pacate, ac
 „secure sub mea tutela, ac patrocinio
 „degant: insuper præcipio, ut Præfecti
 „diligenter caveant, ne qua illis in vita,
 „bonis, ac fortunis vis, ac injuria fiat,
 „addita sanctione, ut is, qui secus fe-
 „cerit, capitis poenam sibi dictam in-
 „telligat: quoniam vero propter illorum
 „Conciones, & publicos illorum hæreti-
 „corum conventus magni motus, ac
 „graves offensiones excitantur, a cæti-
 „bus sive publicis, sive privatis, cujus-
 „cunque causæ specie, aut prætextu ha-
 „beantur, in posterum abstineant, do-
 „nec aliter a me decretum fuerit, ad-
 „jecta in contumaces capitis poena, &
 „& fortunarum, bonorumque proscri-
 „ptione.,,

§. XXXVII.

*Hugonottæ in variis Regni Urbibus
 occisi.*

Haud benignius, quam Parisiis, Cal- *Thuan. l. c.*
 vinitæ in pluribus habebantur Pro- *Avila l. 5.*
 vinciiis, & quidem pridie ante Parisien- *Dupleix*
 sem *l. c. p. 796.*

Sæcul. XVI
A.C. 1572.

fem Ianiensem Rex varios Regni Gubernatores datis literis stimulabat, ut omnes Hugonottas interfici curarent, quapropter integro bimestri per universam ferme Franciam nil nisi homicidia patrari audiebantur, ac præprimis Meldis hæreticorum plures strangulati, alii vero in Matronam flumen præcipites acti: quo minus tamen Silvanecti quicquam a seditiosis moveretur, præsentia Francisci Momorantii Insulæ Franciæ Præsidis, qui Cantiliæ haud inde longe erat, prohibitum est: summa autem Aureliæ intemperies fuit, ubi semel plebs recentibus adhuc odiis incendebatur ad ultionem, eo quod in ea urbe, quam Protestantes semel, atque iterum occuparunt, fœdæ everforum templorum ruinæ in oculos incurrerent. Postea Andegavenses Aurelianensium exemplum sequebantur: Tricassini quoque incolæ, de quibus Colinius paulo ante apud Regem questus erat, ubi de tumultu Parisiensi acceperunt, custodes portis urbis suæ apponunt, ne quis elaberetur, & cum tertiis Calendis Septembris suspectos omnes in carcerem coniecissent, quinto post die Annæ Valdræi Simphalii Tricassium Præfecti jussu ad unum omnes, singuli a Sicariis mactati sunt.

Pari

Pari furore Bituricenses in hæreticos sæviebant, ubi tamen Franciscus Hotomanus, & Hugo Donellus, qui jus civile in illa civitate profitebantur, discipulorum suorum, ac præcipue Germanorum ope præsentis periculo erepti sunt: nullibi tamen magis horrenda cædes edebatur, quam in Lugdunensi urbe, cui Franciscus Mandelottus præerat; cum enim præsidarii carnificis munus contra suos populares exercere renuerent, ad id infimæ plebis homines seligebantur, qui in Archiepiscopi ædes, ubi ad trecentos ex præcipuis Urbis Protestantibus jussu Præfecti detinebantur, impetum faciunt, & crumenas prius sagaciter scrutati, supplices, ac Dei, hominumque fidem implorantes crudeliter cædunt: præterea illi quoque, qui Rothomagi in carceribus erant detenti, eodem supplicio fuere sublati, quos inter erat Claudius Gaudimelus excellens illa ætate Musicus, qui psalmos Davidicos vernaculis versibus a Clemente Maroto, & Theodoro Beza expressos ad varios, & jucundissimos modulationum numeros aptaverat. Denique Tolosæ quinque Senatores toga rubra vestiti ad ulmum in Palatii area laqueo suspendebantur: igitur ferme viginti quinque hæreticorum

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

Sæcul. XVI
A. C. 1572.
corum millia in variis hisce Provinciis
trucidata numerabantur.

§. XXXVIII.

Calvinistæ in Provincia, & Delphinatu benignius habiti.

Thuan. l. c.

Ceterum longe mitius Calvinistæ in Provincia, ubi Præsidem agebat Claudius de Sabaudia; Tendæ Comes, necnon in Delphinatu Rectore regio Gordio habebantur; horum enim primus arctissima affinitate Monmorentianis conjunctus erat, cui cum a Josepho Bonifacio Mola, qui post biennium infelicem exitum Lutetiæ sortitus est, a Rege literæ de exterminandis illius Regionis Calvinistis allatæ essent, ille ingenue respondit: „existimare nequeo, „quod id Rex velit, sed potius quidam „erga publicam tranquillitatem male „affecti venerandum illius nomen ementiantur, præcipue cum ante paucos „dies longe diversa ab his mandata acceperim: mallo igitur prioribus, ut „pote Regis fide, & clementia magis „dignis parere mandatis: „verum is paulo post, cum Avenione esset, ex subito morbo decessit, non citra suspicionem veneni ei ab emissariis propinati: insuper hujus Viri lenitatem imitabatur Græcus Comes Regius Provinciæ Legatus, qui suis rationibus edictum

edictum obtinebat longe diversum a prioribus, quod non nisi sanguinem, cædesque spirabat. Ceterum in Delphinatu Bertrandus Simienus Gordius in Momorantiana familia educatus, cum idem mandatum accepisset, Monbrunii, ac ceterorum Protestantium in Allobrogibus potentiam, & a desperatione periculum causatus, se excusabat: nonnulli tamen Valentiaë Cavarum, & Romanii interfecti sunt: hinc Bertrandus, cum plebem jamjam in quosdam fure re comperiret, sua auctoritate cruenti hujus mandati executionem cohibebat: Sauteranus quoque Arvernorum Præses, & ipse Momorantianis addictus, eadem moderatione usus est, qui ad ejusmodi jussa respondit, nunquam se talibus mandatis obedientiam delaturum, nisi ipse Rex præsens id juberet.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

§. XXXIX.

Plures Calvinistæ a Lexoviensi Episcopo in sua Diœcesi mortis supplicio erepti.

Denique haud diffiteri possumus, quod longe plures, quam gladio occubuerint, ex Calvinistis illæsi in variis Provinciis permanerint, imo ipsimet Clerici, quamvis ab hisce hæreticis crudeliter in modum passim habitum fuerint,

*Sanmarth.
Gall. Crist.
t. 2. p. 652.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

rint, nihilominus quotquot poterant, diversis in locis vitæ periculo eripuerunt: præprimis vero, postquam Regius Lexoviensis Legatus iussa sibi transmissa Joanni Hennuyero ex Ordine Fratrum Prædicatorum Episcopo, olim Antonii Borbonii Vindocinensis Ducis, & postea Navarræ Regis Moderatori communicaverat, hic Præsul hæc mandata exequi recusans ita inquebat: „Neutiquam volo, ut hæc mandata effectui dentur; nunquam enim hanc in rem consensurus sum: sum ego Lexoviensis Ecclesiæ Pastor, quas vero mandata intendis, oves meæ sunt, errantes quidem, quas tamen aliquando ad ovile Christi reducendas non despero: nec etiam in Evangelio lego, quod Pastor permittere jubeatur, ut suarum ovium sanguis effundatur, potius e contrario edoceor, quod ipse sanguinem suum fundere, & animam pro ovibus suis ponere teneatur: revertere igitur cum ejusmodi mandato, quod non exequeris unquam, quamdiu Deus mihi vitam conservabit, quam ab eo non alio ex fine recepi, nisi ut illam pro spirituali, ac temporali gregis mei bono impendam.”

Hac Præsulis firmitate Legatus haud parum attonitus, sibi scripto tradi petiit hujus repulsæ testimonium, ut apud Regem

Regem sese excusare posset: id quoque Episcopus iubens eidem tradidit, asserens, quod persuasus de Principis clementia illum in hac occasione deceptum existimet, de cetero autem speret, quod suam repulsam Rex æquo animo laturus sit, sin vero, omnis mali, quod exinde oriri posset, causam Regi esse attribuendam dicebat. Enimvero Deus hujus Præfulis Zelo adspirabat; quippe cum Legatus illius oppositionem ad Regem transmitteret, hic Princeps inde ad pietatem commotus quantocyus sua mandata pro Lexoviensi Diœcesi data revocabat: quapropter prædilectus ille grex, alias ad Pastoris sui præcepta docilis, tantopere hac agendi ratione intimo sensu tangebatur, ut ferme omnes ad ovile Christi redirent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

§. XL.

Festa Romæ, & in Hispania ob hæreticorum internecionem celebrata.

De hac Calvinistarum castigatione Romæ, atque in Hispania longe aliud ferebatur judicium; Gregorius enim Papa hujus nominis decimus tertius unice intentus illi emolumento, quod in Galliis resultaturum existimabat, solemnem decreverat supplicationem, cui ipsemet interfuit, a Divi Petri Basilica usque ad Sancti Ludovici Ecclesiam

*Mezeray l.c. pag. 260.
Tresor chro- nol. du P. de S. Romuald p. 66.*

Hist. Eccles. Tom. XLIX. E pro-

Sæcul. XVI.
A. C. 1572.

procedens, Deoque pro tam felici successu grates rependens: insuper ad perpetuam rei memoriam quædam numismata cudi curabat, in quibus una ex parte ipsius Papæ effigies, ex altera vero Angelus dextra crucem, sinistraque gladium tenens visebatur cunctos hæreticos, præcipue vero Colinium exterminans. Præterea in Hispania de hac victoria panegyrica oratio præsentem ipsomet Philippo II. Rege habebatur, passimque hoc facinus Ecclesiæ militantis triumphus nominabatur.

§. XLI.

*Calvinistæ vita superstites in varias
Regiones profugi.*

Thu. l. 53.
p. 835.

Porro Franciæ Protestantes, qui sædam tempestatem in die Sancti Bartholomæi exortam evaserant, ad Vivarienses, necnon ad vicinas Provincias aufugiebant; plures tamen, cum eandem pænæ severitatem, quam ægre eluctati fuerant, vererentur, extra Regnum emigrarunt, quorum nonnulli in Angliam ad Reginam Elisabetham transibant, ab eadem securum asylum recipientes, alii vero in Germania a Friderico, necnon a Tigurinis, & Bernatibus apud Helvetios, quotquot eo contendere volebant, omnes perbenigne excepti sunt: Genevenses quoque
hilce

hisce miseris omne, quantum in ipsis
erat, auxilium, opemque polliceban-
tur: ambo etiam Colinii Architalassi
Filiu natu majores periculo erepti, nec-
non ceteri ex Coliniorum familia ad-
huc vita superstites primo Genevam, &
postea Basileam secesserunt, inde vero
post aliquot mensium moram Bernam
contententes ibidem omni obsequio-
rum, ac honorum genere cumulati
sunt: ex aduerso alii plures Calvinistæ,
cum diuturni exilii ærumnas pertimes-
cerent, nec a suis familiis procul abes-
se vellent, violentiæ, ac tempori ce-
dentes rursus ad veram fidem Catholi-
cam reversi sunt, ac fidei normam eis
propositam suo chirographo firmarunt.

Sæcul. XVI.
A. C. 1572.

§. XLII.

*Continuata Caroli IX. Regis an-
xietas.*

Cum Navarræ Rex, & Condæus Prin-
ceps Protestantium sectæ pertinaci-
ter abhuc inhærent, Carolus IX. eis
timorem incussurus die nona Septem-
bris arma sibi afferri, & prætoriano-
rum Centuriones accersiri jubet, de-
rans, quod Protestantium reliquias pro-
fligare statuisset, atque initium a Con-
dæo Principe sumere, & postea Navar-
ræ Regem perdere decrevisset, hinc
Belliducibus omnibus, ut sibi præsto
E 2 sint,

Thu. 1. 53.

Sæcul. XVI. A.C. 1572. sint, imperabat: sed intercessit prudens, & supra sexum fortissima mulier Regis uxor, quæ viri impetum, quæ valebat apud eum auctoritate, compressit, monuitque, ne rem tanti momenti consiliariis haud consultis aggredere-
 tur, cum hujusmodi esset, ut, si res præcipitaretur, postea pænitentia emendari non posset. Rex igitur dilectissimæ uxoris precibus victus arma deposuit, & Centuriones abire iussit.

§. XLIII.

Caroli IX. monita ad Navarræ Regem, & Condæum Principem.

*Dupleix hist.
de France
t. 3. p. 792.*

Altera die Rex Navarræ Regem, & Principem Condæum accersitos ad suum cubile deduxit, eisque rursus hæc exposuit: „notum vobis est, quod omnes tumultus, ac seditiones regnum meum devastantes unice ortum traxerint ex dissensionibus, quas errores recens nati concitarant, cumque mala, quæ ex hæresi pululant, aliunde evidentia sint argumenta illius impietatis, quam ipsa tradit, hinc tam perniciosæ hæresis radicem excindere statui, nullamque aliam sectam tolerare decrevi præter religionem Catholicam sacris literis innixam, traditionibus Apostolicis suffultam, innumerisque miraculis confirmatam, atque
 „in

„in successione summorum Pontificum Sæcul. XVI.
 „a Divo Petro usque nunc continuata A.C. 1572
 „stabilitam: dein dum Architalassum,
 „ejusque socios morte plectere jusse-
 „ram, gravibus urgebar rationibus, ne
 „hac in occasione legum solemnitates
 „adhiberem, quibus Monarcha adstri-
 „ctus non est, præcipue erga ejusmodi
 „Viros, qui toties in Regaum, ipsum-
 „que sacratum Regis caput conjura-
 „runt. His postea subjunxit, quamvis
 „vos ipsimet nuperæ rebellionis rei, ac
 „conscii fueritis, nihilominus tanti sce-
 „leris veniam lubens vobis impertior
 „ob generis vestri nobilitatem, quoniam
 „vero animarum vestrarum saluti pro-
 „spicere obstrictus sum, tria vobis pro-
 „ponere cogor, vel Religionem Catho-
 „licam, vel mortem, vel perpetuum
 „carcerem: jam horum electionem vo-
 „bis integram relinquo: mox autem
 „alterutrum eligatis velim.„

§. XLIV.

*Navarræ Regis, & Condæi Princi-
pis responsum Regi datum.*

Ad hæc Navarræ Rex modeste Regi Thuan. l. 53.
 ita respondit: „cum a Religione
 „tota salus dependeat, saniora edoceri
 „cupio, omnibusque de prompto ani-
 „mo meo satisfactum erit.„ Attamen
 Condæi responsum nullatenus æque

Sæcul. XVI.
A.C. 1572

moderatum erat, nam is Regem his
verbis alloquebatur: „cum in Patris
„mei Religione enutritus, atque edu-
„catus sim, hancque securiorem existi-
„mem, Majestatem tuam rogo, ne con-
„scientiæ meæ vim inferre velit: nec
„sinit Deus, mi Rex, & Domine, ut
„ex his tribus a te propositis primum
„eligam; ex duobus autem reliquis al-
„terum, quod placuerit, Majestatis tuæ
„arbitrio, ac voluntati relinquo, quam
„Deus pro providentia sua regere, ac
„moderari dignetur: de cetero omnem,
„quam a fidelissimo quovis subdito spe-
„rare possis, obedientiam spondeo.

§. XLV.

*Patris Maldonati, ac Roserii conatus
in utroque Principe ad veram fi-
dem revocandi.*

Thuan. p.
836.

Percepto hoc responso Rex omnem
operam impendit, ut ambo Princi-
pes de Religionis Catholicæ veritate
convincerentur, quam in rem cum So-
rello Roserio Ministro, qui Calvinii se-
ctam nuper ejuraverat, colloquium ha-
bere constituit, cui ipse etiam Navar-
ræ Rex, Catharina Borbonia ejus So-
ror, Condæus Princeps, Maria Clivi-
ensis ejus conjux, & Francisca Aure-
lianensis Condæi Socrus intererant,
qui omnes jam olim pluribus circa fi-
dem

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

dem disputationibus cum Patre Maldonato Jesuita habitis præsentibus aderant. Ibidem Roserius tanta verborum eloquentia, & rationum pondere perorabat, ut Navarrae Rex, reginaeque Filiae jam antea Caroli IX. minis territæ lubenti animo Religionem Catholicam amplecti decernerent: verum Condæus Princeps, cum sibi in publica hac concertatione nondum satisfactum putaret, seorsim Roserio colloquens: „Itane est, inquit, prout palam edicis, & ex animi sententia, seu potius metu adæctus contra mentis tuæ judicium loqueris?“, cum ille autem affirmaret, & multis insuper rationibus ea, quæ animo sentiret, ac in nupero colloquio produxisset, corroboraret, Princeps eidem plura edisserendi spatium relinquens subjecit: „Si ita est, quemadmodum a puero in tua, tuorumque Collegarum schola edoctus accepi, veritatis defensionem libenter capite ipso redimam: sin vero erravi, & circumventus sum, errore deposito veritati exploratæ cedendum est.“ Ab eo temporis momento Condæus Princeps circa suæ sectæ veritatem dubitare videbatur, tandemque in manibus Borbonii Cardinalis Calvinii errores ejurabat.

Sæcul. XVI.

§. XLVI.

A.C. 1572.

Ambo Principes ejurata hæresi ad veram fidem reversi.

Placuit Aulæ tantopere Zelus, ac Rolerii dexteritas, ut ejusdem opera Lutetiæ Parisiorum multis in locis hanc in rem feligeretur, ac ipse unacum Patre Maldonato Jesuita Diviodurum Mediomatricum decerneretur, ubi ambo amplam Evangelici laboris segetem collegerant. Postremo Rolerius ad Montpenserii Ducis preces Sedanum quoque profectus est, ut Franciscam filiam Henrici Roberti Marciani Bullionii Ducis uxorem a Protestantium doctrina, quam illa amplectebatur, revocaret, qua tamen in re conatus ejus frustraneus fuit; unde mærore contracto, & crebris literis ab amicis e Germania scriptis monitus, & increpitus, infelix hic homo denuo ad spurixæ reformationis castra pertransiit, suæque sectæ immortalis periiit.

*Beza hist.
Eccles. p.
475. l. 16.*

§. XLVII.

Navarri, & Condæi literæ ad Papam.

*Thu. l. 53.
p. 837.
Spond. hoc
ann. n. 16.*

Postea Navarræ Rex, ac Condæus Princeps die tertia Octobris ad summum Pontificem literas dabant, in quibus hæc exponebant: „Magno cum dolore accidisse testamur, quod ab in-
„eunte

„eunte ætate falsa doctrina imbuti a ^{Sæcul. XVI.}
 „communione Ecclesiæ avulsi essemus, ^{A.C. 1572.}
 „id tamen factum culpa non tam pa-
 „rentum, quam eorum, qui illos sedu-
 „xerant, quem errorem cum a Rege,
 „Regina parente, Regisque fratribus,
 „Cardinale Borbonio, & Montpenserio
 „moniti agnovimus, ac detestati sumus,
 „professionem nostræ fidei apud Pontifi-
 „cium Oratorem deposuimus, confisi-
 „que benignitati ipsius, qui tanquam
 „Christi in terris Vicarius, & gratia-
 „rum cœlestium per universum orbem
 „dispensator universos obvia humani-
 „tate complectitur, ad ejus misericor-
 „diam confugimus, & petimus, ut a
 „te in gremium Ecclesiæ recipiamur, &
 „impedimentum, quod matrimoniis a
 „nobis nuper contractis, quo minus le-
 „gitima, & ex iis suscepti liberi cen-
 „seantur legitimi, obesse possit, nobis
 „facta consanguinitatis gratia remo-
 „veas., Tam luculentis debitæ sub-
 „missionis testificationibus permotus Pon-
 „tifex die prima Novembris utrique per-
 „benigne respondit, ac dilaudata illo-
 „rum pietate, & fide non modo petitum
 „dispensationis diploma transmisit, sed
 „etiam speciali Bulla utriusque Princi-
 „pis matrimonium ratum habuit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

§. XLVIII.

Navarræ Regis edictum pro Religione Catholica in suis ditionibus restauranda.Ciacon. l. c.
Duplex p.
783.

Interea Navarræ Rex, ut luculentius ejurati erroris, ac Religionis Catholicæ serio adoptatæ testimonium præberet, die decima sexta Octobris edictum promulgari jussit, quo ex consilio uxoris suæ, Reginæ, Cardinalisque Borbonii patruï sui per universas suas ditiones, & præcipue in Bearnensi principatu, ubi a parente ipsius ante aliquot annos ex Comitiorum Provinciæ decreto Majorum Religio abolita fuerat, & Protestantium doctrina recepta nunc Calvinistarum sectæ inter eos adoptatæ usum interdixit, mandavitque, ut prisca Religio tamdiu intermissa instauratur, & bona sacro ordini adempta restituantur, Pastoribus, nisi ad Majorum sacra redeant, facessere jussis. Edictum hoc Grammontano, Bearnensis Provinciæ Governatori, aliarumque ditionum præsidi perferendum, & exequendum committitur, cujus tamen conatus in irritum cecidit, Bearnensibus obtemperare recusantibus, & hoc mandatum, non libera voluntate, sed a captivo Principe suo non sine conscientiæ violentia profectum interpretantibus.

Præ-

Præterea regium quoque edictum con-
ditur, quo omnibus Protestantium do-
ctrinam professis, etiamsi Religioni illi
renuntiaissent, publica munera adimun-
tur, siue illa ad iudicarium ordinem,
siue ad equestrem pertinerent: exime-
bantur tamen ab eo numero, qui minora
officia administrabant, dummodo iuxta
solemnem abjuratiōis publicæ formu-
lam errorem suum palam detestarentur.

Sub idem tempus Carolus quoque
Lotharingiæ Dux die decima quarta
Septembris edictum condebat, quo po-
pulis ditioni suæ subjectis Religionis
Protestantium usum, quem licentia in-
valuisse sine suo iussu dicebat, omni-
no interdixit, facultate tamen facta Pro-
testantibus res suas vendendi, & ne-
gotia sua intra unius anni spatium ge-
rendi, & inde alio libere migrandi.

§. XLIX.

*Sigismundi Augusti Poloniæ Regis
obitus.*

Hoc anno Salutis nostræ millesimo
quingentesimo septuagesimo secun-
do die septima Julii Sigismundus Au-
gustus Poloniæ Rex Knisiniæ in Lithua-
nia decessit, postquam annum ætatis
suæ quinquagesimum secundum, Regni
vero sui vigesimum quintum expleve-
rat, nullis hæredibus relictis, etiamsi
tres

Sæcul. XVI.
A.C 1572.

Thuan. l. 6.
Mezeray
abrege chro-
nic. tom. 3.
p. 248.

Sæcul. XVI. tres habuisset uxores Ifabellam, seu E-
A. C. 1572. lifabetham Auftriacam, Barbaram Ra-
 zeviliam, & Catharinam Auftriæ Ar-
 chiduciffam, ex quibus prima, & ter-
 tia Ferdinandi I. Cæfaris Filix erant.
 Porro Sigismundus poltremus erat inter
 Jagellonicæ ftirpis Principes, qui per
 ducentos ferme annos Polonicum fcep-
 trum rotabant: is vero receptis Eccle-
 fiæ Sacramentis in fide Catholica con-
 ftans, ac pius in Domino obiit, prius-
 quam vero moriebatur, paulo ante Ba-
 legnius nothus Montluci Valentini Præ-
 fulis Filius hoc regnum Andegavenfi
 Duci procurare apud Poloniæ Proceres
 nitebatur: mortuo autem Sigismundo
 quantocius in Franciam reverfus eft,
 miffio in ejus locum ipfomet Montluco,
 qui vix in Poloniam delatus confestim
 Bazinum, quem a fecretis habebat, ad
 comitia Varfoviæ celebranda ablegare
 feftinabat unacum literis die vigeſima
 octava Octobris ad Archiepiſcopos, E-
 piſcopos, Palatinos, Regnique Senato-
 res datis, quibus Andegavenſem Du-
 cem eligendum proponebat: inſuper
 etiam Bazino tradebatur Scriptum
 quoddam, feu apologia ob Pariſienſis
 tumultus invidiam, cum Dux hujus cæ-
 dis conſcius a nonnullis diceretur: equi-
 dem hujus Scripti Author horrendam
 hanc ſtragem negare non audebat, eam
 ex-

excusabat tamen, caussatus, nullatenus hoc scelus dedita opera fuisse patratum, sed consensum a Rege per duram necessitatem fuisse extortum, ut Protestantium violentiam, quam hi post Architalassi Colonii vulnerationem moliebantur, cohiberet: re autem jam confecta Rex, cum alia via remedium adhibere haud posset, hunc tumultum approbare simulasset: præterea funestam hanc diem Divo Bartholomæo sacram Guido Faber Bibracius excusabat, hancque in rem ad Stanislaum Elvidium epistolam perscripsit, in qua demonstratum ibat, quod hoc facinus laude dignum nullatenus læsis justitiæ præceptis executioni fuerit datum.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

§. L.

Pomponii Belleverii oratio ad Helvetiorum Magistratus.

In præfenti rerum vicissitudine memoratu dignum est, quod Franciæ Rex apud exteros etiam Principes hujus cædis culpam excusare studuerit; quippe hanc in rem ad Helvetios Pomponius Belleverius, apud quos olim Regis nomine Orator erat, reverti jussus, sua eloquentia demonstrare nitebatur, quod Colinius consilium Regem necandi cepisset, ac magnas passim emuncta Gallia pecunias, multamque auri, & argenti

Thu. l. 53.

Sæcul. XVI
A. C. 1572.

genti vim congefisset, ut se Regi potentia, atque opibus adæquaret, hacque ratione, cum sibi commodum videretur, exercitum ad turbandum regnum compararet: præterea Belleverius de eodem Colinio edicebat, quod palam in sanctiore consilio Regi interminatus esset, nisi bellum Hispanis inferret, fore, ut potioem Galliæ partem adversus Regiam Majestatem ipse concitaret, quam in rem semper circa se latrones hominibus necandis exercitatos, certos item alios in quibusque Regni provinciis habere dicebatur, quorum celeri opera in mittendis nuntiis, & exercitibus conscribendis uteretur, adeo ut eam ob causam Regi, & universæ Galliæ terribilis fuerit: his multa subjuncta erant, quæ ad ambitionem Colinii exagitandam, & ejus famam magis obscurandam studiose prolata fuerant. Verum ad hanc ejus orationem postmodum latino sermone vulgatum brevi responsum est scripto admodum acri, & conviciis pleno Wolfgangi Prischachii Cracoviensis nomine edito.

§. LI.

Carpenterii scriptum in eandem rem.

Thu. l. c.

Sub idem tempus Belleverius itineris sui socium selegerat Petrum Carpenterium Tolosanum, qui jus civile aliquando

quando Genevæ publice professus fer- Sæcul. XVI.
 vente Parisiensi tumultu apud eundem A.C. 1572.
 Belleverium suum habuit perfugium :
 cum autem Rex, ac Regina de egre-
 giis hujus Viri dotibus certiores fierent,
 eundem tam promissorum, quam mu-
 nerum amplitudine sollicitabant, ut
 cædem in festo Sancti Bartholomæi
 patratam pariter tueretur : igitur hac
 de re Carpenterius Argentinam conten-
 dit, ubi etiam traditis aliquamdiu Ju-
 risprudentiæ præceptis se benignis o-
 mnino auribus excipi sperabat, ibidem-
 que die decima quinta Septembris con-
 tra Protestantes, qui Caussarii vulgo
 appellabantur, epistolam perscribebat,
 eamque ad Franciscum Portum Cre-
 tensem linguæ Græcæ peritum, atque
 in ædibus Renatæ Ferrariensis Ducissæ in
 Italia enutritum trans mittebat : ergo
 præprimis Carpenterius duo inter Gal-
 liæ Protestantes genera fuisse dicit, quo-
 rum alterum *pacatorum*, qui ad retinen-
 dam suam religionem solum respicie-
 bant, alterum autem erat eorum, qui
 se causam communem propugnare ubi-
 que sorgebant, de cetero autem homi-
 nes a pacis consiliis abhorrentes, ac fa-
 ctiosi existebant : postea in eodem scri-
 pto addit, quod unusquisque ex hisce
 Sectatoribus privatos suos habeat Mi-
 nistellos : denique Parisiensem lanie-
 nam

Sæcul. XVI. nam excusare conatus hujus cædis executionem omnino æquam fuisse demonstrat, imo & necessariam, ut impia hæc factio ad regiam auctoritatem labefactandam, fidem urbium sollicitandam, tranquillitatemque publicam turbandam, in perniciem denique protestantium, & religionis ipsorum a turbulentis hominibus, & patriæ hostibus conflata everteretur: attamen ad hanc epistolam Portus, seu quisunque alius sub ejus nomine, Kalendis Martii anni insequentis, non sine multa verborum acerbitate respondit.

§. LII.

Balduinus hanc cædem vindicare ab Andegavensi Duce rogatus sed oblitatus.

Cum Parisiensem cædem defendere, magis Andegavensis Ducis, quam ipsius Regis interesset, in opem etiam Francisci Balduini celebris Jurisconsulti eloquentiam, calamumque adhibere nitabatur. Hic in Germaniam delatus in celebrioribus Academiis Jurisprudentiam profitebatur, cædem tamen in festo Divi Bartholomæi patratam ex animo detestatus sese excusabat, acresque cum Calvinistis Genevensibus contentiones caussabatur, quibus fore dicebat, ut illa, quæ ab ipso proficiscerentur,

rentur, in ea caussa minime in bonam partem acciperentur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Ceterum sat manifestum erat, genuinam hujus repulsæ causam fuisse, quod sincere illud facinus abominaretur, cujus defensionem in se suscipere fuerat rogatus: verum hac agendi ratione Balduinus probum se esse virum testabatur, ex adverso autem eo magis vituperandum est, viros dignitate, pietate, integritate, ac doctrina præstantes, & ab omni furo, & vanitate alienos, Morvillerium, Thuanum, Monlucium, Pirbracium, & Belleaureum, ut regni bono infervirent, non metu, aut spe, sed præfenti rerum statu eo adductos fuisse, ut rem, quam in corde suo detestabantur, aut simulate laudarent, aut officiosa excusatione obscurarent.

§. LIII.

Equites Ordinis Sancti Michaelis in Ecclesia Beatae Virginis congregati.

Cum in Gallis præcipua cura eo abiret, ut populus sedaretur, eique persuasum fieret, quod tandem exterminatis iis, qui suis factionibus pacem turbabant, regno pristina sua tranquillitas fuerit reddita, hinc Rex Equites Ordinis Sancti Michaelis in Ecclesia Beatae Virginis Parisios venire præcepit, ubi cum cuncti præstituta die vigesima

Thu. p. 844.

Hist. Ecclesiast. Tom. XLIX. F nona

Sæcul. XVI.
A C 1572.
nona Septembris solemnibus ordine procedentes, ibidem festiuitate Sancto Michaeli sacra congregati essent, ac Rex in suo throno consideret, peracto sacro libellus supplex eidem ex compacto porrigebatur, Nobilium priscam Religionem profitentium nomine, in quo maximum adhuc nobilium numerum in regno superesse, abs dubio ea ex causa dicebant, ut nuper interfectorum memoria induceretur, & iactura illa, qua Galliam adeo debilitatam iactabant, eleuaretur. Hi ergo postulabant, ut Religio una, videlicet ea, cui a Majoribus per successionem acceptæ regia Majestas, ac regni salus innititur, ipsius Regis auctoritate in posterum constituatur, atque id, quod ipse Rex nuper super ea re ad tempus statuerat, nunc in perpetuum decernatur: quam ad rem efficiendam, si opus fuerit, hi Nobiles operam suam magno consensu deferebant. Hunc libellum Rex benigne accepit, & ea in re, quod magis expediret, facturum se spondit.

§, LIV.

Senatus edictum contra Architalassum Colinium.

Thu. & Duplex p. 794.
l. c.
Interea in Senatu quæstio in Colinium defunctum, ac conscios maturabatur, ac tandem die vigesima septima Octo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Octobris promerita contra Colinium mortuum fertur sententia, qua tanquam Majestatis reus, pacis, & tranquillitatis publicæ hostis, & inivitæ adversus Regem conspirationis auctor, & instigator damnatur, bonisque omnibus ærario publico addictis, ejus memoria infamiæ nota aspergitur, illiusque nomen in perpetuum aboletur, decerniturque, ut corpus illius, si uspiam inveniri posset, aut si minus, imago crati imposta a carnifice per urbis vias raptetur, & in ripensi foro ad patibulum suspendatur, atque inde ad Monfalconias furcas in editiorem locum transferatur; insuper sanciebatur, ut ejus insignia ad caudas equorum alligata itidem in sempiternæ ignominie testimonium per urbes raptentur, illaque omnia, quæ ubicunque locorum toto regno in ejus honorem erecta, & ad decus affixa comperientur, a carnifice publice confringantur, ac lacerentur: statuae item ejusdem, & imagines ubique conerpantur, & aboleantur: ædes quoque illius primariæ Castellione ad Lupam solo æquentur, nec ibi fas sit unquam ædificium instaurare, arbores in illius septo ad mediam altitudinem cædantur, solum sale conspergatur, & in media area columna statuatur cum lamina ærea, cui præsens Senatusconsultum

Sæcul. XVI.
A.C. 1572. inscribatur: præterea illius liberi ignobiles, & infames pronuntientur, & indigni, qui publicis muneribus fungantur, aut ullis bonis in Gallia fruuntur, iis, si qua possidere comperiantur, in ærarium publicum redactis. Eodem denique edicto statutum, ut quotannis vigesima quarta Augusti, quæ dies B. Bartholomæo sacra est, solemnes supplicationes ad gratias Deo agendas, & celebrandam illius diei memoriam in universa urbe habeantur, ac divinæ clementiæ laudes perfolvantur, eoquod Regem, ejusque Regnum a suorum subditorum conspiratione in ejus personam conflata liberare, illiusque Auctores pro criminis modo plectendi opportunitatem benigne concedere voluerit.

§ LV.

Bricomotii, & Cavagnii supplicium.

Thuan. l. c.
Mezeray
abrege chr.
t. 5. p. 258.

Eadem die contra Bricomotium, & Cavagnium, qui non ita pridem comprehensi fuerant, alia sententia haud minus severa pronuntiabatur. Juxta non nullorum relationem Bricomotius jamjam septuagenarius, cum cetera hujus sententiæ capita patienter excepisset, ad suarum prolium mentionem præ doloris vehementia exclamavit, ecquid illi commeruissent, cur tam severe cum illis ageretur: postea cum ambo diversi ad

Sæcul. XVI.
A.C 1572.

ad anulos ferreos alligati essent, ipse morte territus indigna conditione de vita pacisci voluit, ablegatis ad Regem amicis suis, qui Rupellæ, de cujus obsidione jam fama increbuerat, expugnandæ rationes, si sibi vitæ gratia fieret, se exploratissimas habere renuntiarent: verum hac conditione a Rege repudiata, alia proposita est, vi cujus crimina objecta agnosceret, & conjurationem a Colinio contra Regem initam coram populo fateretur. Ast hanc ille vicissim conditionem, cum se hujus criminis haud reum crederet, acceptare recusabat. interim Cavagnius inter hæc summa constantia defixis in cœlum oculis, preces ex psalmis assidue recitabat, & cum timeret, ne Bricomotius animo linquens magno famæ dispendio breve vitæ tempus redimere vellet, eum constantiæ, quam in belli periculis per tot annos ad hanc diem multa cum laude exhibuisset, memorem esse iussit: quibus verbis generosum virum pudore incusso ad mortis contemptum confirmavit, & ita ambo cratibus impositi ad supplicium rapiuntur, & per carnificem scalis dejecti laqueo suffocantur.

Ad idem patibulum suspendebatur Colinii effigies straminea, cujus ori ad ludibrium dentiscalpii frustulum inferebatur,

Sæcul. XVI. tur, quo Colinius vivus ad purgandos
A. C. 1572. dentes uti solitus erat, & fere semper
 in ore profundissima cogitatione, quasi
 aliud agens, rotabat. Porro hoc Bri-
 comotii & Cavagnii supplicium Rex
 cum Regina parente ex urbis ædibus
 velo fenestræ prætenso conspexit, huic-
 que funesto spectaculo Navarrum Re-
 gem interesse voluit.

§. LVI.

*Inchoata Rupellensis Urbis ex-
pugnatio.*

Thuan. l. 53. Calvinistæ, cum ubique suæ securitati
pag. 846. diffiderent, urbes, in quibus nu-
 mero superiores erant, munire cæpe-
 rant, aliasque Catholicis eripere præ-
 sumebant, imo etiam paucos intra dies
 quamplurima oppida sibi vi vendicabant:
 cum vero Rex præcipue Rupellensem
 civitatem ad obsequium revocare sta-
 tuisset, eo Governatorem ablegabat
 Bironium: ast cædis nuntio apud Bur-
 digallenses eodem tempore patratæ, cui
 seditiosi quorundam Concionatorum
 sermones ansam dedisse dicuntur, ad
 Rupellenses perlato cives novum hunc
 Governatorem recipere renuebant: ita-
 que Bironius horum pertinaciam edo-
 ctus Surgeriis die vigesima sexta Se-
 ptembris ad eos epistolam hujus teno-
 ris perscripsit: „displicet mihi, quod
 „con-

„confilium arripere volueritis vobis tan-
 „topere funestum, rem tamen interea
 „Regi non manifestabo, donec ad fa-
 „niora reversi sententiam vestram mu-
 „taveritis.„ Pariter die duodecima
 Octobris Navarræ Rex, necnon Caro-
 lus IX. ac Regina ejus Mater, & An-
 degavensis Dux datis ad eosdem literis
 illos ad pacem hortabantur: nihilomi-
 nus Rupellenses rescribere audebant,
 se quidem pro egregia Regis in eos vo-
 luntate grates rependere, simul tamen
 rogare, ut prius classem alio secedere
 jubeat; caussabantur enim, quod alio-
 qui in tanta trepidatione nihil certi de
 rebus suis statuere possent: his addebant,
 si hoc a Regis benignitate impetretur,
 certum hoc futurum erga se regis vo-
 luntatis pignus, atque adeo ad augen-
 dam, & amplificandam erga eum obe-
 dientiam stimulos additurum. Ergo
 a Rege ad illos Joannes Durandus, qui
 res Rupellanorum Lutetiæ procurabat,
 mittebatur unacum Christophori Thua-
 ni literis, quibus a Rupellensibus mul-
 tum tribui sperabatur, eoquod Thua-
 num erga ipsos bene jam a longo tem-
 pore affectum, pacisque cupidum
 nossent.

Insuper Oartisius ad eos perscribere
 rogabatur, spe concepta, quod ejus
 monitis, cum ipsemet Protestantium

F 4

par-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1572.

Sæcul. XVI
A.C. 1572.

partes sequeretur, eo promptius obtemperaturi essent. Denique missus a Rege Franciscus Folijs Vigeanus e primaria Pictonum Nobilitate, cujus præsentiam, & auctoritatem apud eos plurimum profuturam sperabant, qui tamen intra urbem minime admissus est, cum Rupellenses illi satis se fecisse crederent, si duntaxat ad eum quosdam ablegarent Deputatos, quibuscum Folijs conferre posset: ast hujus quoque Viri conatus in irritum cecidere.

§. LVII.

Regis edictum pro Protestantium securitate promulgatum

Thuan.
pag. 850.

Eodem ferme tempore Rex die octava Octobris aliud edictum promulgari jussit, quo testabatur, quod eorum, qui metu adacti longe a domo ad urbes discesserant, aut etiam extra regnum migraverant, vicem doleret, cum vero hi abs dubio summa rerum penuria laborarent, hinc mandabat Præfectis, ut absentium nomina describant, eosque trina denuntiatione, ut domum redeant, citari curent, securitate, incolumitate, & bonorum omnium libera possessione, ac restitutione obtemperantibus promissa: nisi vero paruerint, bona eorum annotari, & per procuratores regios administrari jubeant. Aliquan-

quanto post scilicet vigesima septima Sæcul. XVI.
 Octobris die alterum edictum in gratiam A.C. 1572.
 Protestantium condebatur, quo Rex
 severe prohibuit, ne ullis, iis tamen
 exceptis, qui contra ipsum Regum con-
 jurassent, molestia, aut periculum ob
 Religionem creetur, & si qui carceribus
 ob id detineantur, solvantur, bonisque
 suis restituantur, atque in Præfectorum
 tutela sint, qui, si quid illis sinistri con-
 tingat, eorum damnum proprio peri-
 culo luant. Hac edictorum modera-
 tione multi ex nobilitate domum revo-
 cati fuere, qui aut extra regnum, ut au-
 xilia a Principibus Protestantium causæ
 faventibus sollicitarent, abiisse crede-
 bantur, aut in urbibus, ad quas con-
 fugerant, multitudini confusæ, pa-
 vidæ, ac fere imbelli se Duces præ-
 bere potuissent.

§. LVIII.

*Rupellenses auxilia ab Anglis effla-
gitantes.*

Dum interim Aula tam ingenti mo-
 deratione ad sedandos Calvinistas
 utebatur, Rupellenses, qui Bironium
 ad urbem suam admittere pertinaciter
 recusabant, semel, atque iterum dele-
 gatos in Angliam ad Mongomerium co-
 mitem, qui cum Carnutum vice-Domino
 eo se contulerat, ad accersenda

Thaan. l. c.

Sæcul. XVI.

A.C. 1572

auxilia mittunt: igitur Rex horum contumacia exacerbatus die sexta Novembris ad Bironium mandata dat, quibus Rupellanis, nisi sine exceptione, & nulla interposita mora ipsum admitterent, bellum denuntiaret, & cum iis tanquam perduellibus, ac Principi suo rebellibus, læsæque Majestatis criminali obnoxiiis agere jubebatur. Accepto hoc mandato mox quidam munitionum Architecti unacum triremibus eo mittuntur, ut Rupellæ situm, portumque explorarent: verum crebris tormentorum ictibus a Calvinistis repelluntur: eapropter res ad apertum bellum spectabat, quod tamen lentius agebatur, ut interea omnia incolas ad saniora reducendi media adhiberi possent.

§. LIX.

Franciscus Laniois Gubernator Rupellas a Rege Deputatus.

*Thuan.
pag. 851.
Mezeray
pag. 263.*

Rex, ut oppidanos lenitate ad obsequium revocaret, ad ipsos Gubernatorem ablegabat Franciscum Laniois secta Calvinistam, quem Longevillæ Dux veteri amicitia eidem junctus ad aulam invitabat: priusquam vero Laniois discedere permittebatur, Rex illum in Gondii ædes deductum ad privatam colloquium admisit, excusatisque, quantum valuit apud eum, illis rebus, quas

quæ in tumultu Parisiensi acciderant, Sæcul. XVI. A. C. 1572.
 etiam bonorum Telinii, cuius ille So-
 rorem in uxorem duxerat, gratiam
 fecit, laudatæque ejus integritate cum
 summa fortitudine conjuncta, & alieno
 ab omni factione ingenio, ad extre-
 mum rogavit, ut partes suas interpo-
 nat, & Regni tranquillitati simul, ac
 Rupellanorum saluti operam navare ve-
 lit. Lanoyus cum se ab initio excusasset,
 tantoque negotio se imparem, ac mi-
 nus idoneum ostenderet, instante tan-
 dem Rege imperium accepit, ea lege,
 ut Rex ad fallendos eos se administro,
 suaque, tanquam proditoris, opera mi-
 nime uteretur; hoc enim ab ingenio
 suo, & decore, quod vitæ apud se præ-
 ponderet, summopere abhorrere aje-
 bat, atque in eam rem data a Rege fide
 sibi caveri voluit.

§. LX.

*Lanoyus a Rupellensibus indignum
 in modum exceptus.*

Itaque Lanoyus Rupellas proficiscitur Thuan. l. c.
 unacum Joanne Baptista Guadagnio
 Florentino, quem ei Rex non tam iti-
 neris socium, quam omnium ejus actio-
 num exploratorem adjungebat: verum
 Lanoyus talem suæ dexteritatis, ac sin-
 ceritatis testem habere haud ægre fe-
 rebat: cum autem ad urbem non ad-
 mitte-

Sæcul. XVI. mitteretur, in Tarlonio pago substitit,
A.C. 1572. ubi indignum in modum a Rupellen-
 sium Deputatis excipiebatur, qui Vi-
 rum sibi ignotum esse simulabant, &
 Gubernatoris officium ipsi demandatum
 non nisi cachinis, ac ludibriis exploden-
 tes interrogabant: „Esne tu ille La-
 „nojus? id haud credimus; is enim,
 „qui olim nobiscum conjunctissimus no-
 „mine Lanojus diu vixit, aliam, quam
 „tu nunc, personam apud nos gessit,
 „quippe quos in causa communi ma-
 „gna virtute, ac constantia tuendos per-
 „petuo susceperat, nec promissis cor-
 „ruptus inani spe nos aluit, aut inter-
 „posito sub amicitiae specie colloquio
 „proditionem molitus est: porro illius tu
 „quidem faciem, minime vero volunta-
 „tem refers: quam ob rem ad tuos te pe-
 „nates recipe.“ His verbis illatam
 sibi injuriam cum summa patientia dis-
 simulans Lanojus, tandem precibus
 obtinuit, ut illi Deputatos mitterent,
 qui postulata sua ad Senatum relatu-
 ros se promitterent: quid vero in hoc
 Senatu fuerit decretum, ignoratur, in-
 terim id unice constat, quod Lanojo
 responsi loco a Rupellensibus fuerint
 tres conditiones propositæ, ut ex iis,
 quam vellet, eligeret I. an tanquam pri-
 vatus in civitatem recipi vellet, II. ut-
 rum copiarum, quæ ejus auspiciis du-
 ceren-

cerentur, imperium suscipere non gravaretur. III. an denique, si has conditiones respueret, & abitum pararet, quamcunque vellet, navim conscendere, atque in Angliam contendere mallet. Verum ex iis Lanoyus, postquam cum Vadagnio collocutus est, illam, quæ dignitati suæ magis conveniret, conditionem acceptabat: igitur supremam in urbe auctoritatem, imperiumque sibi oblatum seligebat, hacque ratione in civitatem admissus est.

§. LXI.

Plures Belgii Urbes ad Oranium Principem deficientes.

Nec major tranquillitatis aura Belgis, quam Francis adspirabat; plurimos enim Albæ Ducis austeritas ad seditionem concitabat, hinc non paucæ Urbes sese Arausionensis Principis imperio subiciebant, cum aliunde Protestantium secta latius sese extenderet, ac hæretici crebras reportarent victorias, quamvis Hispani eorum progressus sistere totis viribus adlaborarent; quippe conjurati jamjam usque ad Hollandiæ Provinciam suis armis penetrabant, cumque Hispani, qui eos insequerentur, non tam militum, quam Tyrannorum more passim sævirent, plures ferme victorias hostibus sua crudelitate

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Thuan. l. c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

tate procurabant, quam propriis armis reportaverant; tantopere enim durum, atque inhumanum tam arrogantis, ac imperiosi populi jugum subire reformidabant omnes, ut urbes cunctis viribus sese Hispanorum progressibus opponere satagerent, mallentque ad hostium suorum castra transire.

§. LXII.

Ursinus Cardinalis Legatus in Franciam a Papa decretus.

Ciacon. t. 3.
Duchesne
hist. des Pa-
pés p. 433.
Thuan. l. 54.
pag. 879.

Ferventibus hisce tumultibus Gregorius XIII. Papa ad omnes Europæ aulas suos decernebat Legatos, ut cunctos Principes hortarentur ad arma capessenda adversus Turcas, qui extremam cladem Christianis intentabant: igitur Papa in Gallias tanquam Legatum, qui Carolum IX. ad foedus cum ceteris Principibus ineundum sollicitaret, Fulvium Ursinum Cardinalem ablegabat: ast hic Franciam in longe aliarum facie repererat, quam existimabat, ac Romæ compererat: nonnulli enim ex Gallis metu fracti, ac terrore concussi languebant, alii autem sævitia nuper exhibita exacerbati fremebant, totum denique Regnum tumultibus undique agitatam cernebatur; præterea haud parum hic Cardinalis mirabatur, quod nonnulli palam detestari aude-

rent

rent ejusmodi facinus, cum tamen il- Sæcul. XVI.
 lud in Italia, & Hispania amplis ce- A. C. 1572.
 lebraretur elogiis: imo insuper idem du-
 cebat mirum, quod ipiemet Rex, cu-
 jus tamen sapientia, ac prudentia,
 quam hoc facinore testatam reddebat,
 extra Franciam plurimum commenda-
 batur, nunc non sine pudore de hac
 cæde mentionem faceret, illamque
 velut rem præcipiti consilio inchoatam,
 ac potius ex necessitate, & occasione
 natam, quam ex Religionis Zelo, &
 æquitatis studio profectam excusaret.

§. LXIII.

Regis repulsa circa Synodum Tridentinam in Gallis promulgandam.

Cum Legatus denuo cum Rege con- Thuan. l. 54.
 ferret, vehementer mirabatur, quod
 Concilium Tridentinum nondum in
 Franciæ Regno esset promulgatum, etsi
 a tempore, quo illud erat absolutum,
 jamjam novem anni præterfluxissent:
 eapropter, quod tanta mora Universo
 Christiano Orbi offensionem esset, Regi
 proponebat, eumque Pontificis nomine
 rogabat, ut tandem hanc Synodum in
 suo Regno recipi curaret: porro has
 preces sæpius innovabat, ac uberrima,
 quæ ex hoc Concilio profluunt, emo-
 lumenta identidem exaggerans omni
 data occasione decretorum sapientiam
 extol-

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

extollebat, eaque recipi petebat, verum ejus preces, sollicitationes, imo & validæ illius rationes nonnisi furdas pulsabant aures; quippe Rex nonnisi vagis oppido verbis coram Legato suum erga veram fidem studium, immotumque in sacram Sedem obsequium jactans addebat: nunc Papæ precibus deferre, præsentirerum mearum vicissitudine prohibeor: his dictis Legatum valere jussit, licet alia in occasione, ubi rursus hac de re agebatur, clarius mentem suam explicans declararet, quod hæc Concilii promulgatio circa res ad fidem spectantes in suo Regno haud esset necessaria, cum Religio ibidem integerrima conservaretur: quominus vero ea, quæ disciplinam, & præcipue particulares quosque Synodi articulos concernunt, promulgare valeat, per nuperam Protestantium rebellionem, pluresque alias privatas rationes præpediatur: de cetero ea, quæ honeste ab eo exigì possent, per sua edicta supplere se paratum dicebat: postquam vero Ursinus Cardinalis e Galliis discesserat, Rex eo paulopost Nicolaum Dangennium Rambilletum, Oratorem suum dignitate, rerumque gerendarum dexteritate clarum Romam decernebat, quem brevi Joannes Durfortius Durafius sequebatur, qui pariter tanquam

Na-

Navarræ Regis Legatus Romam profectus est.

Sæcul.XVI.
A.C.1572.

§. LXIV.

*Ordo Militaris Equitum S. Mauritii
in Sabaudia institutus.*

Eodem hoc anno Summus Pontifex ad Emanuelis Philiberti Sabaudia Ducis preces Ordinem Equitum sancti Mauritii erexit, quam in rem diploma die decima sexta Septembris Anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo secundo edidit: Itaque Papa præfato Duci hunc Ordinem sub sancti Mauritii invocatione instituendi facultatem concessit, eo fine, ut Equites sese opponerent hæresi, quæ in plures jamjam Provincias irrepserat, & Sabaudia fines invadere moliebatur. Die vigesima tertia proximi Mensis Novembris idem Dux aliud impetrabat diploma, vi cujus perantiquus sancti Lazari ordo cum novo hoc sancti Mauritii ordine uniretur, ea lege, ut Equites recens creati nuncuparentur Equites sancti Mauritii, & sancti Lazari, simulque Sabaudia Ducum, qui semper magni hujus militiae Magistri erunt, sumptibus ad sacram Sedem contra Infideles, hæreticos, Piratas, aliosque Ecclesiae hostes defendendam duas triremes paratas tenerent: insuper Papa

Bullar. t. 2.
Constit. 6.
§ 7
Greg. XIII.
Heliot. hist.
des ord.
monast. t. 6.
Ciacon. t. 4.
pag. 24.

Hist. Eccles. Tom. XLIX, G Equi-

Sæcul. XVI. Equitibus Cisterciensium regulam præscripsit unacum voto paupertatis, obedientiæ, & Castitatis conjugalis, adeo, ut hi milites cum unica tantum, & ea quidem Virgine matrimonium inire valeant: denique ab eis exigebat Pontifex, ut fidei Catholicæ Professionem nuncuparent haud absimilem illi, quam Pius IV. Papa juxta Tridentini Concilii doctrinam vel ad Ecclesiæ finem recipiendis, vel ad Universitates admittendis præscripserat.

§. LXV.

Varia statuta a novo Pontifice sancita.

Porro neo-electus Pontifex in primo Patrum Senatu Cardinalibus impense commendabat, ut sacræ Inquisitionis, hujusque Tribunalis auctoritatem in sua virtute conservare studerent, totoque studio exequendis Concilii Tridentini decretis præcipue morum emendationem concernentibus invigilarent: insuper ex eodem sacro Collegio quosdam nominabat, qui jamjam inchoatum librorum prohibitorum Indicem ad exitum deducere curarent. Episcopis denique injunxit, ne illis, quos nec morum integritas, nec vitæ honestæ fama commendat, sacros Ordines conferrent, quam in rem Hispaniæ

niæ Regem rogabat, ut ex suis subdi-
tis probatorum nomina sibi designare
velit, quatenus postmodum eorum me-
rita digno præmio compensare valeat.

Sæcul. XVI.
A. D. 1572.

§. LXVI.

Duo Nepotes in Cardinales nominati.

Postea ex suis Nepotibus duos sacro
Cardinalium Collegio adscripserat, Ciacon. p. 45.
& 46.
ut cum eis Universæ Ecclesiæ sollicitu-
dinem partiri posset: porro eorum pri-
mus erat Philippus Boncompagnus, qui
die secunda Junii hoc anno Domini mil-
lesimo quingentesimo septuagesimo se-
cundo purpuram obtinuit, ac Cardina-
libus Presbyteris accensitus fuit sub
titulo sancti Xysti, qui etiam ab eodem
Pontifice Major Pœnitentiarius est re-
nuntiatus. Alter erat Philippus Gua-
stavillanus unicus ex Gregorii XIII. So-
rore Filius, quem Papa nonnisi anno
sequenti Mense Julio Cardinalem Dia-
conum titulo sanctæ Mariæ Novæ, ac
sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium
nominabat.

§. LXVII.

Spinosæ Cardinalis obitus.

Hoc anno tres Cardinales mundo va-
ledicebant, quorum primus erat
Didacus Spinosa natione Hispanus, ac
Petri Spinosæ filius, qui absoluto Ca-
noni-

Ciacon. t. 3.
pag. 1031.
Aibery vie
des Cardi-
naux.

Sæcul. XVI. nonicæ, ac civilis jurisprudentiæ studio utramque scientiam adhuc juvenis in Salmanticensi Universitate, imo & Complutensi, prout nonnulli referunt, publice professus ingentem eruditionis suæ laudem sibi comparabat: eapropter a Philippo II. ob explorata ipsius merita Castellæ Præsidem, necnon supremum totius Hispaniæ Inquisitorem agere jussus primo Serguntix Episcopus, demum a Pio V. Mense Martio Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octavo Cardinalis nominabatur, quamvis nonnisi quatuor annis cum semestri purpura frueretur, vita functus Madriti feria quarta die quinta Septembris hoc anno: porro corpus ejus ad vicum Martini-Mugnoz in veteri Castella, ubi natus erat, delatum est. Fertur, quod post Didaci Cardinalis obitum, cum Philippus secundus Rex Hispaniæ Regni sui urbes inviseret, & per prælatum vicum transiens Missæ sacrificio interesset in ipso Sacello, in quo hujus Cardinalis ossa servantur, re divina peracta filium sic affatus fuerit: „Hic jacet ministrorum, „quos habui optimus.„ Enimvero Spinosæ æquitatis studiosissimus omnes judices, qui sordidum quæstum exercebant, severe castigabat, præcipue vero ex pluribus, quibus inclarescebat virtutibus

bus, in eo enituit humilitas, ac singularis paupertatis amor, necnon animus a proprio quæstu summopere alienus, quarum virtutum splendore sibi etiam omnium venerationem conciliabat.

§. LXVIII.

Cardinalis Hieronymus de Corrigo mortuus.

Alter erat Cardinalis Hieronymus de Corrigo Filius Gilberti hujus nominis tertii, qui secundis nuptiis Veronicam Gambaram, quæ sui ingenii acie, ac virtutibus ævi sui Matronas longe superabat, sibi matrimonio junxerat, duosque ex ea susceperat Filios, quorum primus nominabatur Hypolitus anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo vita functus, alter vero Hieronymus, cujus nunc mentionem facimus. Hic Bononiæ studiis operam navans demum sub Pauli III. Pontificatu Romam pervenit, atque ab eodem Papa Anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo quadragésimo Sedis Apostolicæ Nuntius in Gallias decernebatur, ut Francisco I. ob præmaturam Filii sui Aurelianensis Ducis mortem Pontificem maximo dolore affectum significaret. Mortuo Paulo IV. Hieronymus aliquamdiu cum Cardinale Alexandro Farnesio Pontificis

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Ciaccon.
pag. 942.
Bon. Angli
in hist. Parmensi
Aubery l. c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

tificis Nepote versatus, atque in Hispaniam ablegatus est, ut cum Philippo II. de Placentina Urbe Octavio Farnesio Parmensi Duci illius Cardinalis Fratri restituenda ageret, cum autem hac legatione feliciter fungeretur, in obsequii præmium ab Octavio Duce castrum Corrigium dono accepit, eoquod hanc arcem contra Ferrariensis Ducis impetus strenue defendisset. Denique a Pio IV. in Papam electo, qui Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo primo jam altera vice Cardinales creaverat, purpura decoratus est, postquam per octo jamjam annos Tarentinum Archiepiscopatum rexerat. Tandem etiam a Pio V. ad Marchiam Anconitanam decretus ibidem maritimas urbes munire, atque propugnacula erigere jussus est, ut Turcis, qui cum numerosa classe ibidem exscensuri timebantur, resisti posset: cum ergo demandatum hoc negotium prospere admodum ad exitum deduxisset, Pio V. vita functo, de eo in Pontificem eligendo in comitiis pro electione Gregorii XIII. habitis agebatur; quarto autem, aut quinto post Mense hoc anno die octava Octobris feria quarta non sine magno omnium proborum luctu obiit, sepultusque fuit in Ecclesia

clesia ad Sanctum Sylvestrum in Monte Quirinali.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

§. LXIX.

Ferrariensis Cardinalis extrema.

Tertius denique ex Cardinalibus hoc anno defunctis erat Hyppolitus Estensis Alphonsi Ferrariæ Ducis, ac Lucretiæ Borgiæ Filius, qui die vigesima quarta Augusti anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo nono natus in Ducis Patris sui ædibus cum summa sollicitudine educatus, atque ab eodem in politicæ prudentiæ, rectique regiminis artibus summo studio imbutus fuerat, ac juvenis adhuc in Franciam missus a Francisco I., qui tum regni gubernacula regebat, ac de Alphonsi prudentia, & dexteritate probe conscius, necnon aliunde eidem affinitate conjunctus erat, privatis consiliis adhibebatur, ac rebus maximi momenti præficietur: insuper ab eodem Rege Arelatensem, Auxitanam, & Lugdunensem Ecclesiam regendam suscepit, præter Episcopatus Augustodunensem, & Trecorem, quinimo referunt Historicorum nonnulli, quod etiam Aurelianensem, Narbonensem, & Novariensem Ecclesias administraverit. Tandem a Paulo III. Pontifice die quinta Martii Anno a partu Virgi-

Ciacon. pag. 650.
Vissorel. in addit. ad Ciacon. Ughel. Ital. Sacra. Sanmarth. Gall. Christ.

Sæcul. XVI. nis millesimo quingentesimo trigesimo
 A. C. 1572. octavo Cardinalis, atque a Julio tertio
 circa annum millesimum quingentesi-
 mum quinquagesimum Ferrariensis Epi-
 scopus renuntiabatur, & denique an-
 no sequenti ad componenda quædam
 dissidia inter eundem Papam, & Hen-
 ricum II. exorta feligebatur: tanta e-
 nim gratia apud hunc Regem valebat
 Estensis, ut idem Princeps nihil abs-
 que hujus Cardinalis consilio a suis Le-
 gatis, ac Belliducibus suscipi vellet:
 unde idem etiam sub eodem Rege Se-
 nensium, qui sese Gallorum præsidio
 committebant, Gubernator nominaba-
 tur. Postea sub Pio IV. Legationis mu-
 nere functus est in Patrimonio S. Petri
 & paulopost ad Romanorum Regem in
 Germaniam pro pace ineunda, mox-
 que in Galliam ab hæreticis vexatam
 ab eodem Pio mittitur, illique comi-
 tes, & ministri dati fuere inter alios
 Prosper Sanctacrucius Romanus, qui
 Pro-legati munere fungebatur: insuper
 eidem tunc adjungebatur Matthæus
 Contacellus, qui signandis supplicibus
 libellis præfuit, quem Gregorius XIII.
 in Cardinalem postea promovit. In
 hac legatione obeunda, quamvis Hy-
 politus sibi magnam laudem compara-
 verit, non tamen defuerunt, qui huic
 crimini darent, quod cujusdam Mini-
 stelli

Sæcul XVI.
A. C. 1572.

stelli concioni interfuisset: quapropter per quamdam epistolam, quam ad Ca-
 fertanum Episcopum Mense Februario Anno Christi millesimo quingentesimo
 sexagesimo secundo Romam scripserat, hac super re innocentiam suam vindi-
 care cogebatur. Demum Romam re-
 versus a Carolo IX. Franciæ rebus ibi-
 dem procurandis præfectus hoc munus
 singulari prorsus studio obibat: inter-
 fuit quoque Colloquio Possiacensi, ut
 alibi meminimus. Tandem Anno Do-
 mini millesimo quingentesimo septua-
 gesimo secundo Romæ die secunda De-
 cembris e vivis excessit annos natus
 sexaginta tres: porro corpus ejus
 ad Tiburis civitatem, ubi magnificum
 construxerat Palatium, translatum ibi-
 dem in Ecclesia sancto Francisco sacra
 terræ mandatum est. Ceterum hic
 Cardinalis ingenii sublimitate, atque
 animi magnitudine præstans Viros do-
 ctos, quorum singularis patronus au-
 diebat, sibi conciliare satagebat, atque
 inter eos Muretus, qui ejus laudes
 funebri oratione deprædicabat, necnon
 plures alii Viri in literaria Republica
 celeberrimi rara istius munificentiae spe-
 cimina experti sunt: præterea etiam
 magnifica ædificia ab eo in Galliis
 constructa, necnon amœnissimi horti
 in Monte Quirinali, ac Tibure ador-
 nati,

Sæcul XVI. A.C. 1572. nati, qui hodie dum visuntur, hunc Cardinalem fuisse Virum in rerum selectu, judicio, ac magnificentia nemini secundum comprobant.

§. LXX.

Hieronymi Maggi fata.

*Addit. aux
eloges de
Thou par
Teiffier t. I.
pag 38r.
Suvertius in
elog. Mag-
gii init. libri
de Tintinnab.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos hoc anno defunctos numerari meretur Hieronymus Maggi, seu Magius Angleriae in Etruria natus, qui humaniores literas, ac prima civilis jurisprudentiae elementa a Petro Antonio Ghiedo edoctus Bononiam contendit, ut ibidem Roberteli magisterio uti posset: attamen ingenii sui vastitas nequam unius scientiae limitibus coarctari poterat, sed ferme ad omne scientiarum genus sese extendebat: quinimo Hieronymus nequidem artis bellicae imperitus hac super re libros conscripsit, licet ob facultatum suarum tenuitatem, quae ipsum etiam apud Venetos Typographos pro mercede operam suam locare adegerat, consultius egisse videretur, si ab ejusmodi laboribus abstinisset: nihilominus ipso hoc scientiae militaris studio nomen suum posteritati magis celebre reddebat: cum enim a Venetis ad Insulam Cyprum, necnon sub Antonio Bragdino Famagustam tanquam exercitus Inspector mitteretur, ibidem

ibidem tam præclara præstitit obsequia, ut majora nequidem a celeberrimo Machinario expectari possent, nam urbem cum summa animi fortitudine propugnavit, donec tandem Anno post Christum natum millesimo quingentesimo septuagesimo primo urbs a Turcis obsessa, captaque esset, a quibus etiam Maggius in captivitatem abstractus durissime habebatur, ac catenis onustus Constantinopolin raptabatur, ubi etiam velut mancipium inhumanis Dominis traditus misere dies suos transigere cogebatur, postquam totam suam Bibliothecam unacum omnibus scriptis prius amiserat.

In funesto hoc rerum statu unicum suppeditabat solatium recordatio illarum scientiarum, quibus ante ingenium suum excoluerat: hinc durissimæ servitutis jugum per diem ferens noctem studiis impendebat, suarumque vigiliarum veluti fructum proferebat duos tractatus oppido raros, quorum prior agebat de campanis, alter vero de equleo: porro præcipue hæc duo seligebat argumenta, eo quod apud Turcas campanarum usum non vigere observasset, aliunde vero continuo ejus menti obversantibus variis, quibus ob miseram vitæ suæ conditionem expositus erat, tormentorum generibus ad-

notas-

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Sæcul. XVI. notasset, quod hucusque nullus exacte
A.C. 1572. illam explicaverit machinam, quam
 veteres equleum appellabant: itaque
 ex duobus hisce tractatibus priorem
 nuncupabat Constantinopolitani Impe-
 ratoris Legato, alterum vero Carolo
 Francisco Noallio Aquæ Augustæ Epi-
 scopo, qui tum apud eundem Sultanum
 Franciæ Orator fuisse creditur: hi ta-
 men ambo tractatus nonnisi longo post
 Auctoris obitum tempore typis vulga-
 bantur, nihilominus illi, quibus Mag-
 gius suos libros dicabat, eundem in
 libertatem asserere nitebantur, ac de
 lytro agebant, quinimo de ipso redem-
 ptionis pretio jamjam pactum fuisse ini-
 tum dicitur: ait Bassa Mahometes, cum
 Maggium apud Cæsaris Legatum sup-
 plicasse intelligeret, atque aliunde mala
 Turcis ab eo in Famagustana obsidione
 illata memori animo recoleret, nocte
 sequenti ad diem vigesimam septimam
 Martii hoc anno eundem in carcere
 strangulari præcepit.

Dupin. Bibl. des Auteurs Eccléf. t. 16. pag. 111. Ceterum singularis est Maggii tra-
 ctatus de campanis; quippe ibidem
 I. demonstratum ibat, quod illæ a sancto
 Paulino Episcopo Nolano, prout Scri-
 ptorum nonnulli affirmant, non fue-
 rint inventæ, sed suam originem longe
 antiquiori ætati debeant. II. De di-
 verso earum usu agit, observatque, quod
 Græci

Græci Christiani non campanis, sed Sæcul. XVI.
A.C. 1572.
quadam lignea machina, quam Symandram vocant, usi fuerint, ea autem fuerit tabula admodum arcta, quatuordecim pedes longa, quæ duobus ligneis malleolis pulsari consuevisset. Hi etiam hodie dum ferrea utuntur lamina in medio ex fune suspensa, quam ferreo quodam pistillo quatere solent: ceterum hujus machinæ usus duntaxat habetur, dum sacra Synaxis ad infirmos defertur. Postea Author de campanis ad campanilia, turresque progrediens hanc in rem prorsus singularia profert.

Denique hic tractatus primo Hannoniæ circa Annum Domini millesimum sexcentimum nonum, iterato autem prælo Amstellodami excusus prodiit: porro tractatus de equleo itidem Hannoniæ anno Salutis nostræ millesimo sexcentesimo octavo juxta scriptum Codicem Arnulpho Manlio ab ipso Maggio relictum unacum Jungermani notis editus fuit, in quo Author varias Scriptorum opiniones circa veterem ejusmodi equleos construendi modum recenset, ipsumque exhibet velut ligneum equum, cujus dorsum veluti cujusdam cultelli acies in acumen desinit: huic igitur machinæ homines impositos, eorumque manibus, pedibusque pondera
ad

Sæcul. XVI. ad acerbius tormenti augmentum alligata fuisse refert, & quandoque pedibus, manibusque in hoc equleo suspensos dicit illos, qui tormentis subjicebantur, atque etiam ardentibus facibus adusti, vel ferreis uncis dilaniati fuerant.

Ceterum ex cunctis operibus, quæ Maggius ante suum in Cyprum Insulam discessum elucubravit, nullum magis ad Historiam Ecclesiasticam accedit, quam illud, cui hunc præfixit titulum: *Libri quinque de mundi exitio per combustionem.* Hic idem liber semissibus foliis Basileæ Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo publicam lucem aspexit, atque in eo Author opinionem illorum refellit Philosophorum, qui mundum ab æterno existitisse credunt, adversus quos ipse propugnat, quod mundus suæ corruptioni obnoxius fuerit creatus, ac Deus ad illum purificandum aquam, ignemque destinarit, & primo quidem illum per diluvium mundarit, in fine autem sæculorum rursus ignem adhibiturus sit. In secundo libro discutit, an totus mundus, vel quædam duntaxat illius pars igne sit absumenda, & quousque demum hoc incendium sese extendat. In tertio libro propugnat, quod hoc idem incendium sit suscitandum ab ignea, & ful-

& sulphurea pluvia: describit etiam Sæc. XVI.
 cuncta, quæ extremam hanc calami- A.C. 1572.
 tatem sint præcessura. Affirmat in
 quarto libro, quod ante Christi adven-
 tum hoc incendium sit futurum: dein
 leviter tangit quæstionem de tuba, quæ
 mortuos sit suscitatura. Denique in
 quinto libro de resurrectione agit, re-
 jicitque millenariorum fabulam, nec-
 non postremum Christi Domini adven-
 tum, ceterasque res ad eum pertinen-
 tes describens hunc tractatum absolvit,
 totumque opus Ecclesiæ Romanæ ju-
 dicio, ac censuræ subjicit.

§. LXXI.

Joannis Genesii de Sepulveda obitus.

Alter author erat Joannes Genesius *Thuan' l. 54.*
 Sepulveda Cordubensis, qui ferme *Anton. Bibl.*
 in octogesimo secundo ætatis suæ an- *Hispan.*
 no Salmanticæ, ubi Canonicus erat, *Dupin. l. c.*
 e vivis excessit. Hic vir erat linguæ *pag. 115.*
 Græcæ, ac latinæ, necnon Philosophiæ
 scientia clarus, cujus merita Carolus V.
 tanti habebat, ut eundem suum Theo-
 logum, ac Historiographum nomina-
 ret. Ceterum Sepulveda suis opinio-
 nibus plus æquo pertinacius inhære-
 bat, atque a mitioribus, magisque mo-
 deratis sententiis, quæ tamen verum
 Theologum maxime decent, plurimum
 recessit, prout satis aperte elucet ex diffi-
 diis,

Sæcul XVI.
A.C. 1572.

diis, quæ circa Hispanorum crudelitates in Indiis, necnon circa violentias ibidem patratas cum Bartholomæo de las Casas fovebat; cum enim hic pro coercenda ejusmodi licentia Cæsaris opem imploraret, Sepulveda Hispanorum agendi rationem tueri aggrediebatur, asserens, eam a divinis, humanisque legibus, necnon belli juribus esse permissam, quam in rem librum conscripsit, cui titulus: *De justis belli causis ab Hispaniæ Rege suscepti contra Indos*, porro cum hunc librum jamjam prælo paratum haberet, Bartholomæus, necnon Segobiensis Episcopus sese hujus operis editioni opponerent, pluribus etiam in Hispania consultationibus hac super re habitis, in quibus decretum, hanc quæstionem potius ipsam tangere conscientiam, proin desuper Theologorum quoque sententias esse rogandas: Hæc gesta fuere Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragésimo septimo.

Igitur Theologi Complutenses æque, ac Salmanticenses in consilium vocati post crebras altercationes tandem decidebant, quod religionis Christianæ plurimum intersit, ut Sepulvedæ liber minime typis vulgaretur, eoquod perversam contineret doctrinam: verum hic Auctor nulla habita hujus sententiæ

ra-

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

ratione librum suum Romam transmissit, ubi clam prælo subjectus est: mox tamen Cæsar hanc agendi rationem indignatus in omnibus suis ditionibus hunc librum divulgari prohibuit, simulque præcepit, ut omnia exemplaria fors in Hispanias delata supprimerentur: nihilominus Sepulveda salvo suo honore haud cedendum ratus petiit, obtinuitque, ut hac super re cum Bartholomæo de las Casas, necnon cum Episcopo Segobienensi disputare posset, quamvis hæc ipsa concertatio nonnisi tertio post anno fuisset habita, præsentem Dominico Soto celebri Theologo, qui etiam Carolo V. Imperatori a confessionibus erat. Verum hic idem Princeps, utpote aliis obrutus negotiis, & aliunde bellis longe acrioribus implicitus rem non decedit, ita tamen, ut Hispanorum crudelitates in Indiis potius fuerint toleratæ, quam approbatæ. Ceterum Sepulveda inter Theologicas suas elucubrationes scripsit I. Tres libros de libero arbitrio adversus Lutherum. II. Antapologiam pro Alberto Pio contra Erasmum. III. Theophilum, seu tractatum de modo testem agendi in criminibus occultis. IV. De veritate Corporis, & Sanguinis Christi in Sacrificio Missæ. V. Commentarium in Cantica Canticorum ex Sancto Ambrosio decerptum. VI. Tres libros

Hist. Eccles. Tom. XLIX, H de

Sæcul. XVI.
A. C. 1572.

de solemnitatibus Nuptiarum, & de dispensationibus. VII. Insuper eluebrabat etiam Historiam Caroli V. Cæsaris præter Paraphrasin latinam in Aristotelis moralia ad Nicomachum, qui tamen posterior liber nondum publicam lucem aspexit.

§. LXXII.

Francisci Balduini facta.

Sanmarth.
elog. Do.
Gall. l. 2.
Melch. Adam
in vita Ju-
ri consult.
Græm.
Miræus in
elog. Belg.
Et Script.
16 sæculi.
Dupin. p.
114.

Tertius ex Scriptoribus Ecclesiasticis erat Franciscus Balduinus Atrebatie die prima Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo natus. Is erat primi regii Advocati in eadem urbe Filius, qui Lovanii humanioribus literis vacans profundam linguæ Græcæ, ac latinæ notitiam affecutus est, postea Jurisprudentiæ studio sese consecrans celebris omnino Jurisconsultus evasit: cum autem a Bergopsomenfi Marchione accerferetur, per aliquot annos in Cæsaris aula morari cogebatur, inde vero recedens in Franciam pervenit, ubi arcta amicitia Budæo, Baifio, Carolo Dumulinio, aliisque Doctoribus junctus erat: postquam vero per septem omnino annos Biturgibus jurisprudentiam publice professus erat, Turingam vocatus ibidem eo munere fungi parabat: ast Dumulinium pariter eo contendere intelligens Argentinæ substitit,

stitit, ubi nonnisi per unum annum ci-
vilem Jurisprudentiam tradidit, inde-
que Heidelbergam delatus rursus per
quinque annos juris, ac historiæ scien-
tias docuit, ac demum secedens Pala-
tinum Rheni Comitem in Lotharingiam
comitatus fuit: inde vero ab Antonio
Borbonio Navarræ Rege in Gallias
revocatus spurium hujus Principis Fi-
lium literis imbuere, simulque etiam
in religionis negotiis, quæ tum illud
regnum acriter agitabant, operam suam
impendere jubebatur. Fertur quoque,
quod Calvinum quondam invisens valde
propensum ejus erroribus adhærendi
animum præsetulerit, ab hoc tamen
proposito absterritus fuerit lectione cu-
jusdam operis, quod Gregorius Cassan-
der sub titulo: *Officium pii hominis* edi-
derat: hic enim liber ob styli sui mode-
rationem Protestantibus minime arri-
debat.

§. LXXIII.

Opera ab hoc Scriptore elucubrata.

Enimvero Balduinus hunc librum præ-
ceteris prior in Gallias deferebat, *Valerius*
ac propterea ipse illius Auctor crede-
batur: non enim prima hujus operis *Andr. Bibl.*
editio nomen Cassandri præferebat, *Belg.*
unde factum, ut ob hunc librum accerri-
ma inter Balduinum, & Calvinum ini-

Sæcul XVI
A.C. 1572.

amicitia accenderetur, quamvis antea
intima familiaritate uterentur: mox
autem mutuo hoc dissidio Balduinus
universam Calvinistarum faciem, ejus-
que odium sibi eo facilius accersebat,
quo certius eis innotesceret, quod hic
Auctor apud Lotharingum Cardinalem
juratum Hugonottarum hostem gratia
plurimum valeret, & Navarræ Regem
ab eorum studiis unice ex ejusdem Car-
dinalis consilio secessisse nossent: igitur
Calvinus mordacem suum calammum
fringebat contra Balduinum, qui quo-
que vicissim suam tuebatur famam edi-
tis tribus libellis, quorum primus est
commentarius in legem *de famosis libel-
lis, & calumniis* contra injurias, quas
Calvinus in eum evomuerat. Al-
ter fuit responsum ad iteratam Calvi-
ni accusationem, & tertius denique
erat alia responsio Anno Christi mil-
lesimo quingentesimo sexagesimo quar-
to contra Calvinum, & Bezam da-
ta, ac Parisiensibus literis excusa,
in qua utriusque errores circa sacras
Paginas, & traditionem sparsos re-
fellebat: insuper præter plura alia
Balduini opera in jus civile edita, qua-
lia sunt commentarius in legem *falci-
diam*, necnon in legem *duodecim tabula-
rum* &c. scripsit etiam idem auctor plu-
res libros historicos, Theologicos, &
Dogma-

Sæcul. XVI
A.C. 1572

niarum Rex recens erexit, literas profitebatur: cum autem Belgarum indoli assuescere haud posset, Parisios rediit, ubi etiam jurisprudentiam tradere continuabat, cum vero jam aliunde suis opusculis nomen suum celebre reddidisset, non raro, ut fertur, inter suos auditores numerabantur non modo Viri scientia, sed etiam nobilitate clarissimi, qui ejus merita apud Andegavensem Ducem tam amplis celebrabant elogiis, ut hic Princeps illum pro Professoris munere Andegavum accerferet: unde hunc Ducem in Poloniam sequi constituens jamjam Parisios reversus erat: ast ibidem die undecima Novembris hoc anno Redemptoris nostri millesimo quingentesimo septuagesimo secundo febrili ardenti correptus obiit, morientique assistebat Pater Maldonatus Jesuita: porro corpus ejus in claustro Patrum Trinitariorum, seu Mathurinatorum Papyrio Massonio funus ejus curante, atque in ejus laudem perorante sepultum est. Ceterum alii Protestantes Balduino exprobrant, quod quarta etiam vice eorum sectæ nomen dedisset, toties autem ad fidem Catholicam reversus esset.

§. LXXIV.

Sandæ Francisci Borgiæ mors.

Eodem

Eodem hoc anno Franciscus de Borgia tertius Jesuitarum Generalis mortalitatem exiit. Erat is Gandiæ Dux, ac Catalanæ Prorex: cum autem Eleonora de Castro ejus conjux Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadregesimo sexto fatis cederet, Borgias octo liberorum, inter quos quinque filii, & tres filiæ erant, Matre orbatum se cernens Jesuitarum societatem inire constituit, postquam iisdem Patribus Collegium quoddam in Gandiana urbe erexerat; porro promittente summo Pontifice etiam post nuncupata Religionis vota per integros quatuor annos adhuc in sæculo remansit, ut liberis suis prospiceret, resque suas componeret: anno autem post Virginis partum millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, cum ab omnibus sæculi curis liber esset, scribis accersitis omnia, quæ possederat, filio suo natu majori celsit, detonsaque barba talarem Sociorum togam induit, ubi dein die prima Augusti Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Sacerdotio inauguratus, ut privatæ suæ pietati satisfaceret, in arce Loyola primum Deo sacrificium offerebat: demum Julius III. Papa de illo in Cardinalem creando agebat: ast sanctus Ignatius hanc dignitatem Borgiæ

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

*Ribadin. in
vita Franc.
Borg.**1. Ferius vie
de S. Franc.
Borg.*

Sæcul. XVI. salutem forte nocivam fore Pontifici exponens impetravit, ut in vitæ genere magis humili relinqueretur: nihilominus supremus Societatis Præpositus pro universa Hispania, & Lusitania nominabatur, mortuo autem Sancto Ignatio, cum Borgias, ut fertur, eidem subrogari, aut rursus ad Cardinalitiam evehi vereretur, propositis pluribus rationibus Romam pergere detrectabat: unde Laynesius tum in Generalem eligebatur, quo tamen circa annum millesimum quingentesimum sexagesimum quintum satis functo, dignitatem sibi paratam declinare haud poterat, sed in in supremum Societatis Generalem fuit electus: qua dignitate auctus, atque austeriorem paupertatem a Sancto Ignatio præscriptam servare summopere intentus Constitutionibus suo exemplo novam vim attribuere videbatur, ac ea, quæ ipsis deesse credebantur, prudentibus suis decretis supplens regulari, ac scholasticæ disciplinæ postremam manum admovebat: unde passim dicebatur, quod Jesuitarum Societas omnem ferme suum splendorem, ac perfectionem Francisco Borgiæ in acceptis referre teneatur, & Sanctus Ignatius quidem hujus ædificii fundamenta, primumque lapidem jecerit, Borgias vero hanc fabricam in altum erexerit, atque
ad

ad supremum fastigium deduxerit: **ast** **Sæcul. XVI.**
 Anno Domini millesimo quingentesimo **A.C. 1572.**
 sexagesimo nono diuturno non minus,
 ac periculoso morbo correptus ægre vi-
 res reparare poterat, quocirca Anno
 Salvatoris nostri millesimo quingentesi-
 mo septuagesimo summi Magistratus
 onere liberari petebat: verum id a fo-
 ciis suis impetrare haud poterat, qua-
 propter per aliquot septimanas Tiburi
 sacræ solitudinis otio perfruens, re-
 cuperatis viribus a Pio V. Papa selige-
 batur, ut Alexandrinum Cardinalem
 ejusdem Pontificis Nepotem in sua ad
 Gallos, Hispanos, & Lusitanos lega-
 tione comitaretur: **ast** Borgias ex Gal-
 liis reversus, cum rursus morbus indies
 ingravesceret, per aliquot Menses Fer-
 rariæ subsistere cogebatur, inde vero
 remediis omnibus incassum adhibitis
 Romam rediit, quo die vigesima octa-
 va Septembris delatus ob ægritudinis
 vehementiam neo-electum Pontificem
 Gregorium XIII. venerari præpeditus
 quosdam suo nomine ad illum ablega-
 bat, qui Apostolicam Benedictionem
 moribundo, necnon absolutionem, seu
 potius plenam peccatorum in antea
 vita commissorum veniam supplices ex-
 orarent: postea Borgias Sacramentis
 Ecclesiæ rite munitus inter singularia
 pietatis signa tandem media morte, quæ

Sæcul XVI. postremam Septembris diem a prima
A.C. 1572. Octobris segregabat, Anno Christi mil-
 lesimo quingentesimo septuagesimo se-
 cundo, ætatis suæ anno sexagesimo se-
 cundo ferme expleto animam Deo red-
 didit, corpusque illius prope Sancti Ig-
 natii, & Jacobi Lainesii cadavera ad
 ejusdem diei vesperam in veteri profes-
 sorum Domus Ecclesia depositum, at-
 que aliquot post dies in Ecclesia, quæ
 a Jesu nomen habet, terræ mandatum
 est. Ceterum Franciscus Borgia idio-
 mate Hispano varia opuscula ad foven-
 dam pietatem concinnata elaborabat,
 quæ Pater Alphonsus Deza Jesuita la-
 tine reddidit.

§. LXXV.

*Parisiensis Theologicæ Facultatis
 gesta.*

*Argentre
 Collect. jud.
 v. 2. p. 417.
 426.*

Eadem prima Octobris die hoc anno
 Domini millesimo quingentesimo se-
 ptuagesimo secundo Facultas Theologica
 Parisiis notum Renatum Benedictum ob
 perniciosam Bibliorum versionem, ut
 supra memoravimus, a suo consortio
 excludebat; die enim sancto Bernar-
 do sacra coram Doctoribus ad id depu-
 tatis eundem Facultas comparere jussit,
 ubi Decanus eum monuit, ut sese præ-
 dictorum Doctorum judicio submitte-
 ret; ubi postea interrogabatur, an cen-
 suram

suram a Facultate in versionem suorum Sæcul XVI.
 Bibliorum latam, velit ratam habere? A.C. 1572.

ad hæc respondit Rhenanus: „hanc ap-
 „probo, cunctaque per Facultatem ge-
 „sta confirmo, atque illam veluti Ma-
 „trem meam quam humillime rogo, ut
 „ea, quæ in Bibliis nomine meo, ac
 „gallico sermone divulgatis correctione
 „digna deprehenderit, dignetur mihi
 „communicare, tanquam filio obsequen-
 „tissimo; nam corrigere volo corrigen-
 „da, prout consentaneum fuerit ratio-
 „ni:„ rursus interrogatus, velletne
 absolute sine conditione probare censu-
 ram Facultatis jam factam contra Bi-
 blicia sua, ad hoc respondit: ego in præ-
 senti nihil aliud, quam quod respondi,
 respondere possum, & ita soluto cœtu
 a Facultatis consortio excludebatur.

§. LXXVI.

*Lovaniensis Facultatis sententia in
caussa Michaelis Baji.*

Hoc item anno Lovaniensis Facultas *Act. Facult.*
 negotio, cujus frequentem fecimus *Lov. ad ann.*
 mentionem, adhuc intenta erat: Papa *1571.*
 enim Pius V. cum hanc causam tan- *Bajan. 2. p.*
 dem decidi percuperet, ineunte Anno *186.*
 Christi millesimo quingentesimo septua-
 gesimo primo datis hanc in rem lite-
 ris Albæ Ducem excitabat, ut Facul-
 tatem Lovaniensem induceret, quate-
 nus

Sæcul. XVI.

A C. 1572

nus omnibus suis Doctoribus decreti subscriptionem præciperet, eoquod ipsimet Baji propositiones in Bulla contentas legitime esse damnatas ibidem declarassent. Dux pro officii sui ratione hac super re literas ad Facultatem dedit, quibus acceptis die decima septima Aprilis eodem anno hora decima ante meridiem in Capitulo minori S. Petri, Facultate sub juramento congregata, & præsentibus omnibus Magistris, propter Magistrum Michaellem, deliberatum fuit super articulis nuper prima die Aprilis propositis, & ex conformibus omnium deliberationibus fuit conclusum prout sequitur.

I. Promulgatum fuit, articulos, quorum in prima propositione fit mentio, omnino habendos esse pro suspectis, & damnatis, & talibus, quales per Bullam Apostolicam declarantur: ideo hanc Facultatis conclusionem esse omnibus ejusdem membris intimandam, seorsim quidem in promotionibus ad gradus, publice vero in Congregatione Facultatis apud FF. Prædicatores habita postridie ad festum Sancti Dionysii, quando statuta publicari consueverunt, ut omnibus constet esse ab illis abstinendum, eosque, qui secus fecerint secundum statuta facultatis, & promo-

ven-

ventium juramenta, atque promissiones ad Facultatem esse deferendas.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

II. Statutum est, Libros, & Tractatus, in quibus dicti articuli ex professo docentur, & afferuntur, esse e manibus studiosorum auferendos, alios autem unacum manuscriptis, quæ studiosorum diligentia collecta sunt, permitte-ndos quidem, sed ita, ut moneantur iidem, defensiones, & assertiones eorundem Articulorum, ubicunque ii occurrant, esse expungendas, & delendas: quod ut fieret diligentius, deputati sunt aliqui ex Magistris ad repurganda Scripta a Magistro Hesselio in Scholis dictata, quorum correctiones ab omnibus, qui ea scripta habere voluerint, sedulo observandas vult Facultas.

III. Declaratum est, Facultatem acceptare Magistri Michaelis Baji declarationem, quam ante dies aliquot fecit, ubi in Scholis Theologicis post disputationem dixit, quod bene velit, imo bene velle debeat Facultatis iudicium in hac re subire, nec recordetur, se verba in tertia propositione præfata protulisse, si tamen ea dixerit, Bajus declaravit, quod respexerit forte ad partes quasdam in nonnullis articulis comprehensas, & non ad integros articulos.

De-

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

Denique judicatum fuit, etiam ex conformibus omnium Doctorum deliberationibus, utile futurum, ut de nonnullorum articulorum partibus modesta fiat, & amica Magistrorum inter se collatio, quatenus se mutuo plenius intelligant, & cum majore concordia semper deinceps omnes in idem conspirent, doceantque, cujus etiam collationis capita, & modum scripto comprehendendi, Doctores jubebant: porro hujus rei curam postea demandabant Cornelio Raynerio eo tempore Facultatis Decano ad Sanctum Petrum. His peractis conventus solvebatur, eaque gesta fuere Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo: Bajus vero declarationi eodem anno die vigesima nona Augusti latae, necnon sententiæ eidem propositæ subscripsit, seque eam ratam habere affirmavit.

§. LXXVII.

*Baji errores in Pii V. Bulla proscri-
pti per aliam sententiam damnati.*

*Acta l. c.
1572.
Bajana p.
178.*

Postquam die prima Maji anno sequenti Pius V. summus Pontifex decesserat, eique Gregorius XIII. subrogatus fuerat, Lovaniensis Facultas, ut suam submissionem novo specimine testatam redderet, die quarta Julii Anno

re-

reparatæ salutis millesimo quingentesimo septuagesimo secundo novum edidit decretum, quo articulos in Pii V. Bulla recensitos, ac proscriptos pariter condemnabat, simulque in eodem confesso statuebat, ut hæc sententia omnibus ad quemdam gradum in Facultate Theologica promovendis prælegatur, iisque severe prohibeatur, ne quempiam ex hisce præscriptis articulis tradere, defendere, propugnare, vel disseminare audeant. Hoc itaque decretum post meridiem ejusdem diei in examine illorum, qui prima doctoratus laurea erant decorandi, prælegebatur, præsentibus Michaele Bajo, ceterisque Professoribus, ac Rectoribus, quin tamen ullus sese huic sententiæ opposuisset: hac igitur ratione aliquamdiu Lovaniensi Universitati pax reddita fuit.

§. LXXVIII.

Patriarcharum Constantinopolitanorum successio.

Interea usque ad Mensẽ Majum hujus anni Metrophanes Patriarcha vere prudens, ac doctus vir Constantinopolitanam Ecclesiam Græcam gubernabat, cum autem illius regimen ultro abdicaret, eidem subrogabatur paucis post Mensibus Jeremias Anchiali ad Pontum Euxinum natus, & antea Larissæ

Sæcul. XVI.

A.C. 1572.

Turco-Gr.

l. 2.

Spond. ann.

1565. &

1572.

rissæ

Sæcul. XVI. A.C. 1572. rissæ Metropolitanus, qui solito tributo soluto a Selimo Sultano confirmatus est.

Hunc Græci tanquam Virum iudicii maturitate, ac eruditionis laude oppido conspicuum celebrant; nam is simoniam tum in hac Ecclesia admodum frequentem feliciter abrogabat, Templumque Patriarchale reparans, ac variis ornamentis locupletans, ipsum etiam Palatium augeri, novaque ædificia construi iussit. Porro regnante eodem Jeremia Malaxius coævus Scriptor suam Historiam de Patriarchis Constantinopolitanis absolvit.

Sub idem tempus Lutherani ad eundem hunc Patriarcham transmiserunt Confessionem Augustanam, atque ad hoc cujusdam ejusdem sectæ fautoris, qui tum ex Cæsarei Legati famulis Constantinopoli agebat, ministerio utebantur, huncque Patriarcham ad sua studia pertrahere nitebantur: ast inanes erant horum hæreticorum conatus, quippe Jeremias illorum errores tam voce, quam calamo strenue impugnavit edito hanc in rem libro græco, qui sub titulo: *Censura Ecclesiæ Orientalis* latine reddebatur a Stanislao Socolvio, qui ad aliud opus *Spongia* dictum, quo Joannes Baptista Fiklerus Stanislai librum refellere nitebatur, respondit. Attamen Lutheri Sectatores hanc Jeremiæ repulsam

ex^a

exacerbati suis dolis, atque artibus Sæcul. XVI.
A.C. 572.
apud Turcarum Imperatorem tam importune instabant, ut Jeremias sede sua pelleretur, ac Metrophanes pristinis suis honoribus restitutus in ejus locum sufficeretur. Hæc gesta fuere anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo nono.

Ceterum hujus Patriarchæ infortunium sequebatur post obitum Michaelis Cantacuzeni, qui insignis Jeremiæ protector, atque ex omnibus Græcis potentissimus Amuratis Sultani jussu Anchiali in sua domo fuit strangulatus, eo quod tumultuum, qui in Valachia, & Moldavia fuerant suscitati, Auctor existisse crederetur: nihilominus Jeremias mortuo Metrophane circa annum Domini millesimum quingentesimum octogesimum secundum rursus suæ sedi redditus Calendarii emendationem a Gregorio XIII. factam non modo recepit, sed etiam sese ejus obsequio devovit: unde a suis æmulis apud Turcarum Imperatorem accusatus, perinde acsi cum Romano Pontifice literarum commercium, arctamque foveret amicitiam, ejusdem Sultani jussu in carcerem detrudebatur, & tandem Anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto in exilium amandabatur. Ferunt, quod Gregorius XIII. ad eum liberandum omnem

Hist. Eccles. Tom. XLIX. I im-

Sæcul. XVI. impenderit operam, eo fine, ut ipsum
A.C. 1573. Romam accersitum purpura deco-
 raret.

§. LXXIX.

Sacrum - Cæsaris obsessum.

Thuan. hist. In Galliis Sacricæsarenfes, qui in re-
lib. 55. bellionis suæ malitia Rupellensibus
pag 917. haud inferiores esse cupiebant, cum
Spond. hoc sibi sua pertinacia Regis indignationem
ann. n. 5. accersere intelligerent, urbis suæ ob-
La Popelin. fidionem tolerare decreverant, ut sal-
l. 33. tem hac ratione debitæ vindictæ pœ-
 nas eluderent: igitur ineunte hoc an-
 no Christi millesimo quingentesimo se-
 ptuagesimo tertio Claudius Castreus
 Bituricensis Provinciæ Præses huic urbi
 regias copias admovet, atque incol-
 las ad ultroneam deditiõnem provocat:
 verum Joannellus, qui urbi præerat,
 tibicinem eo missum detinere, atque
 indignum in modum habere præsumebat,
 eapropter die decima nona Fe-
 bruarii obsidio cæpta toto impetu ur-
 gebatur, exiguo licet progressu, quip-
 pe obsessi tanta pertinacia urbem tue-
 bantur, ut potius ad extremam famis
 violentiam, quam deditiõnis ignomi-
 niam redigi mallerent; quamvis enim
 intra quinque, vel sex hebdomadas
 plusquam quingenti cives inedia pe-
 riissent, nihilominus miseri ab hæreti-
 cis

cis Ministellis, qui cunctos animo fractos suis hortationibus erigebant, decepti denuo fortiter novam sustinebant irruptionem, quam Castreus exeunte Mense Julio fecerat, quin eos vi superare possset.

§. LXXX.

Pax a Rege Calvinistis indulta.

Præterea Rupellensium repugnantia Sacri-cæsarensium pertinaciam augebat; isti enim pariter sese summa fortitudine tuebantur, eosque pertinax illud consilium, quo omnes deditiois conditiones respuebant, abs dubio ad extremam calamitatem redegisset, nisi tandem Rex per Andegavensis Ducis electionem in Poloniæ Regem factam ad pacem hisce rebellibus concedendam impulsus fuisset.

*Thuan. l. c.
Dupleix
hist de
France t. 3.
pag. 802.*

§. LXXXI.

Pax Regis edicto confirmata.

Hujus concordiaæ articulis die sexta Julii firmatis Bironius quarto post die urbem ingressus ibidem hanc pacem promulgari jussit, quam pariter Rex eodem Mense confirmavit, divulgato hanc in rem edicto, vi cujus hæc sanciebantur. I. Motuum, qui a die vigesima secunda Augusti anni prioris fuerunt suscitati, oblivio sanciat. II.

*Thuan.
pag. 941.*

I 2

Ca-

Sæcul. XVI. Catholica Religio in omnibus locis, **A.C. 1573.** quibus ab illo die exturbata est, restituitur. III. Rupellanis, Nemaufensibus, & Montalbanensibus libera doctrinæ suæ professio juxta edicta in Protestantium gratiam facta permittatur. IV. fidi regiæ Majestatis subditi a præfidiis immunes declarentur, & privilegia ipsis sua confirmentur. V. Illis omnibus, qui ab illo die in eadem Religione perseveraverunt, domum redire, ibique cum omni conscientiæ libertate manere liceat, & inde, quo velint, per univèrsum regnum commeandi facultas detur. VI. Nobilibus, qui summam jurisdictionem habent, & ab illa die eandem religionem professi fuerunt, conciones domi, baptismos, & matrimonia celebrandi, ac cœnam administrandi jus sit, ita tamen, ut præter Patrilos, & Matrilos ad hosce ritus plusquam decem homines congregare nequam permittantur. VII. Syngraphæ, & promissiones, quæ de religione, ac spuria reformatione ejuranda ab illo tempore sunt factæ, irritæ pronuntientur. VIII. Omnes sententiæ adversus Protestantes belli istius tempore latæ, quæ sive capitales, sive civiles causas concernunt, tanquam nullæ, & nullius effectus esse declarentur. IX. Cuncti dignitatibus, muneribus publicis, ac bonis

bonis restituantur. X. & postremo ad-
ditum ad testificandam trium illorum
oppidanorum obedientiam, ut per duos
insequentes annos ex singulis Urbibus,
quatuor e primariis civibus, quales
Rex pro suo arbitratu elegerit, tanquam
datæ fidei obsides in aulam veniant,
& trimestri exacto commutentur. Iis
præterea Rex spondit, se gubernato-
rem, qui suo nomine regat pacate
oppidanos, ipsis impositurum, iudices-
que minime eis suspectos daturum.

Insuper sancitum, ut in omnibus
Provinciis arma ponerentur, festique
dies servarentur, atque in jejuniis die-
bus macella clauderentur.

§. LXXXII.

Sacricæsariensis Urbis deditio.

Cum Sancerrani, seu Sacricæsarien-
sis ab hujus edicti gratia sese ex-
clusos cernerent, in deditioem accipi
petebant, quod illis etiam datum pa-
ctis hisce conditionibus. I. Præteri-
torum criminum gratia obsessis a Rege
fiat. III. Tam oppidani, quam inqui-
lini, & mulieres, ac belli Duces bonis
omnibus immobilibus restituantur. III.
Mobilia bona depensis intra sextum
diem quadraginta librarum millibus re-
dimant. IV. Pacificationis nuper cum
Rupellanis factæ beneficio utantur. V.

Thuan. l. 56.

Sæcul. XVI.

A.C. 1573.

Religionis libera professio illis æque, ac edicto illo nominatis concedatur. V. Rex has pactiones ratas habeat, & auctoritate sua firmet, ac tum Urbs in Castrei manus permittatur, qui ab omni vi, & injuria suos cohibeat. Juxta has sanctiones obsides duodecim a Castreo imperati, quibus acceptis, & postea adlato a Rege diplomate, & depensa pecunia ipse urbem exeunte mense ingressus est, eamque præsidio munivit.

§. LXXXIII.

*Variae expeditiones in Occidania,
Delphinatu, & in Aquitania.*

Thuan. l. c.
lib. 55.
Avila l. 5.

Ceterum belli civilis flammæ, quæ in Galliis accendebantur, suo incendio non modo Sancerram, ac Ruppellam urbes nuper obsessas invollebant, sed etiam sese ad Meridionales hujus Regni Provincias extendebant; quippe Henricus Montmorentius Damvilla Occidaniæ Gubernator admotis copiis suis Summarium urbem cinxit, eamque suis armis subjecit: propterea tamen Protestantes nequaquam a seditionis furore quicquam remittebant, sed resumptis animis Florenfacum, aliasque plures urbes intra Narbonnæ fines occupabant, necnon Ruffineti oppidum

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

pidum Rhodano adjacens, ac valde munitum, belloque gerendo percommodum repentino impetu obruebant, simulque Cursolium antea devastatum, atque ad ejusdem fluminis ripam situm novis munimentis e regione Valentienſis urbis firmabant, simul etiam Villanovam capientes, per quam expeditum ad Vivarienſem ditionem aditum ſibi aperiebant. Poſt hæc in Delphinatu Carolus Podienſis Monbrunius, qui hucusque deliteſcebat, tandem e ſuis latebris prorumpens Valentiam, & Montem-Ademarim occupare tentabat, verum ejus molimina in irritum cecidere, eoquod Gordius regius in Provincia Legatus trajecto Rhodano Vivarienſes copias in opem accurrentes in fugam egiffet. Ceterum nec in Aquitania ab armis ceſſatum: ibidem enim Honorius de Sabaudia, Villarius Marchio, Regis Navarræ Vicarius illuc cum valido milite decretus pactis conditionibus Teridam ſubegit, ac Farquium illius Gubernatorem ad arcis feneftras ſuſpendi juſſit, poſtea tamen fuit repulſus prope Cauſſadam, quam Puiolus ſtrenue propugnabat: nec etiam magis proſpera Honorio fortuna arridebat in Varfolienſi expeditione, pariterque Montalbennes incaſſum ſollicitabantur, ut ad Regis obſequium

Sæcul. XVI.
A.C. 1573. reverterentur, quamvis hosce feditio-
fos, cum ubique terrorem incuterent,
Andegavensis Dux in Rupellensi pace
pariter comprehendi voluerit, qua ra-
tione huic bello finis imponebatur,

§. LXXXIV.

*Caspari Schombergii sollicitationes
apud Electorem Palatinum.**Thuan. l. 55.*

Cum interea tot tumultus Franciam
agitarent, in Polonia Gallorum stu-
dia eo intendebantur, ut Andegaven-
sium Duci hujus Regni solium afferer-
etur, quamobrem Montlucus jam
antea eo decretus, cum suos conatus
a Cæsareis elufos cerneret, hac de re
Reginam Matrem certiore reddens
Virum Germanis acceptum, qui Pro-
testantium animos sibi conciliare pos-
set, illuc ablegari petiit: ergo Regina
accepto hoc nuntio Casparum Schom-
bergium Nobilem Germanum exeunte
Mense Februario hoc anno Salutis no-
stræ millesimo quingentesimo septua-
gesimo tertio in Poloniam ablegabat,
eo fine, ut sparsos rumores, quibus Pro-
testantes ad præpediendam Andegaven-
sis Ducis electionem utebantur, dilue-
ret, & libellos famosos ubique dissemi-
natos coram refutaret, Principesque
ipfos ad antiquum foedus cum Franco-
galliæ regno colendum hortaretur.

Hanc

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

Hanc in rem Schombergius præ ce-
 teris Fridericum de Bavaria Electorem
 Palatinum accesserat, ac dissipatis su-
 spicionibus, quas hic Princeps circa
 cædem Parisinam de Rege conceperat,
 eidem hæc exposuit: „Cardinalis Ur-
 „sinus a Pontifice ad Regem missus duo
 „ab eo petiit, ut scilicet Concilium
 „Tridentinum per regnum suum pro-
 „mulgari curaret, necnon in foederis
 „sacri contra Turcam initi societatem
 „veniret: ad ea autem respondit Rex,
 „quod de Concilio adsentire non possit;
 „quippe cum id minime necessarium,
 „ac rebus suis summe nocivum, novis-
 „que in Regno tumultibus, quos, quan-
 „tum in ipso erat, vitatos cupiebat,
 „causam præbiturum foret, quantum ve-
 „ro ad foedus contra Turcas ineundum
 „reposuit idem Rex, quod Principum af-
 „fectus in rem Christianam cederet,
 „sed eo in statu res suæ nunc existe-
 „rent, ut bellis externis temere se im-
 „plicare non expediat, sed in eo se la-
 „boraturum edixit, ut pacem domi, &
 „foris habeat. Dato hoc responso pon-
 „tificius Legatus dimissus fuerat: de
 „cetero id, quod Lutetiæ Parisiorum
 „actum est, non consilio, sed necessitate,
 „quam fortuna imposuit, accidisse ex
 „eo patet, quod post sedatam tempe-
 „statem nulli Protestantium in agro,

Sæcul. XVI. „aut urbibus injuria facta, nulliusque
 A.C. 1573. „conscientiæ vis allata sit: enimvero,
 „Andegavenſis Dux Regis frater Ru-
 „pellam quidem venit, non tam ut op-
 „pidanos bello infeſtet, quam eos ad
 „ea, quæ imperata erant, exequenda
 „cogat, hoc demum ab illis dun-
 „taxat petens, ut eum in urbem ad-
 „mittant, ſalva conſcientiarum liber-
 „tate, & ad conciones conveniendi fa-
 „cultate: neque vero cuiquam recto,
 „ac minime præoccupato judicio de
 „Republica, ac Regis ingenio ſentienti,
 „nedum prudentiſſimis Imperii Prin-
 „cipibus in mentem venire potuit, quod
 „Rex cum Hispanis contra Proteſtan-
 „tium Germanorum caput fœdus ſecre-
 „tum inire velit; nam ille ambitioſa
 „hujus Nationis conſilia perſpecta ha-
 „bet, neque per fœderatorum Princi-
 „pum, ac civitatum pernitiem ad Mo-
 „narchiam, quam jam diu illi partu-
 „riunt, conſtituendam, ſeu ad diriffi-
 „mæ ſervitutis jugum univerſæ Rei-
 „publicæ Chriſtianæ imponendum,
 „viam barbaris iſtis hominibus munire
 „cogitat: imo nihil magis in votis ha-
 „bet Rex, niſi ut exemplo deceſſorum
 „ſuorum arctam cum Imperii Principi-
 „bus amicitiam, & conſiliorum con-
 „junctionem foveat: ut vero egregiam
 „ſuam adeo erga illos voluntatem, facta
 ipſo

„ipso adprobet, eo arctiore cum Anglia
 „Regina se vinculo obligavit, dum in-
 „vitabat ipsam nuper, ut filiam unicam
 „de sacro lavacro fusciperet; hinc e-
 „tiam de Francisci Alenconii fratris nu-
 „ptiis jam pridem injectam mentionem
 „innovavit: neque desperat, quin
 „res summa sibi, & universæ Germa-
 „niæ expetenda felicem fortiatur exit-
 „tum: porro ad id magnopere optat,
 „ut ipsi Principes partes suas interpo-
 „nant, atque id petit in primis a te fere-
 „nissime Elector, quem gratia plurimum
 „apud Angliæ Reginam valere scit: rogat
 „insuper, ut electionem Andegavensis
 „Ducis fratris sui ad Poloniæ sceptrum
 „commendatione tua adjuves, quo ipse
 „tanto beneficio obstrictus, & tam po-
 „tenti, ac rebus Germaniæ opportuno
 „Regno potens, duplici vinculo cœptam
 „cum Imperio amicitiam colat.,

Hæ rationes cum palam propositæ
 Casimirum Electoris Filium, ejusque
 animum eo inclinare viderentur, ut An-
 degavensi Duci favere inciperet, hinc
 Schombergius, ut tam Patrem, quam
 ejus Filium penitus persuasos redderet,
 alia adhuc adhibuit media, ac præ-
 primis eisdem injiciebat periculi Ger-
 maniæ libertati impendentis metum,
 si isti Principes se a Regis Christia-
 nissimi amicitia alienarent: his præ-
 missis

Sæcul. XVI.
 A.C. 1573.

Sæcul. XVI. missis secreto illis ista inculcabat: „Ro-
A.C. 1573. „mæ fuit relatum, quod S. R. Imperii
 „Electores Palatinus, Saxo, & Bran-
 „deburgicus de Cæsare, qui ex Principi-
 „bus suæ doctrinæ addictis unus erit,
 „creando, exclusis Austriacis, serio co-
 „gitent, atque in id Moguntinum Archi-
 „episcopum ad suas partes pertraxissent,
 „verum hoc nuntio Pontifex ultra mo-
 „dum animo commotus fuit, & Hispani
 „Oratoris, ex quo id Papa resciverat,
 „solicitatione cum novem delectis Car-
 „dinalibus in arcanum seductis contu-
 „lit, decrevitque, quod propterea, ut
 „perniciem ex illa Septemvirorum con-
 „spiratione toti Germaniæ, atque adeo
 „rei Christianæ impendentem avertat,
 „tres hosce Electores ob sectariam la-
 „bem quasi indignos jure electionis pri-
 „vare, illudque in se transferre velit.

Hæ rationes, pluresque aliæ a
 Schombergio allatæ nonnulla remove-
 bant obstacula, quæ Andegavensis Du-
 cis electioni a Germanis opponebantur.

§. LXXXV.

*Alii ex Germanis a Schombergio sol-
 licitati.*

Thuan. l. 6. **P**eracta hac Legatione Schombergius
 postea Francofordiam ad Mœnum
 concessit, ibique cum Ludovico Nas-
 sovio circa Belgicum bellum transegit:
 inde

Sæcul. XVI.
A. C. 1573.

inde vero Cassellam ad Guilielmum Hassiæ Landgravium contendit, a quo tamen vix impetrabat, ut se clam istius electioni patrocinatorum sponderet, datis commendatitiis literis ad Sophiam, & Annam defuncti Regis Sigismundi Augusti Sorores, quæ ambæ Lutheri veneno infectæ Austriacam domum summo infectabantur odio: nihilominus Schombergius Cassellis Guelpherbytum petiit, atque Sophiam, quæ tum Henrico Brunsvicensi Duce orbata erat, eo induxit, ut ad Polonos amicos suos in Andegavensis Ducis favorem literas daret, quibus tam valide ad illius electionem concurrebat, ut postea Schombergius æque, ac Montlucus faterentur, quod ei potissimum obtenti regni felicitas in acceptis referenda esset. Deum Schombergius inde Dresdam proficiscebatur, ad Saxonix Electorem non ita pridem Vienna reducem: ast nihil fere ab hoc Principe impetrare poterat, eo quod a Gallicis rebus animum maxime aversum haberet.

§. LXXXVI.

Commendonis studia in Ernesti Archiducis favorem.

Ex adverso Cominendonus Ernestum Archiducem in Polonix Regem eligi sollicitabat, atque in hujus Principis

Gratian. vita Com- mend. Thu. 1. 56.

Sæcul. XVI. A.C. 1573. Procipis favorem præcipuos Lithuanicæ Procures Nicolaum Radzevilium, & Joannem Cothevicum sibi conciliabat, licet primus ex his tam acer, tamque juratus esset Ecclesiæ hostis, ut omnia sua bona, auctoritatemque pro fidei Catholicæ exterminio impenderet, ac præ ceteris prior non modo novos errores in Lithuaniam inveheret, sed ferme unicus illos per cunctas Poloniæ Provincias diffunderet, hinc etiam Nicolaum ex quatuor suis Filiis natu majorem, dum vix ætatem primis humaniorum literarum, sectæque rudimentis percipiendis idoneam attigerat, quantocius in Germaniam misit Sæctariorum doctrina imbuendum: postquam vero hic juvenis ad illam ætatis maturitatem pervenerat, ut ipse res ponderando, ac de iis sanum judicium ferendo par esset, ob tam frequentem sectarum diversitatem, ac perpetuam opinionum, ac fidei immutationem, quam inter hæreticos quotidie occurrere noverat, animum ab imbibita hæresi aversum habere cæperat, eumque conservarat ad illud usque tempus, quo ipse Pater decesserat: tum vero exterarum regiones pervagari statuens in Italiam venit, atque aliquamdiu Romæ commoratus, cum Commendone arctiorem contrahebat amicitiam, hujusque Præ-

Præfulis sermonibus ad veram Majorum suorum Religionem revocabatur, ac demum Roma in Lithuaniam reversus, primas eo curas inténdit, ut mala a suo Parente Religioni illata repararet, quapropter bona, honoresque Catholicis ab illo ablatas restituit, & spurios Ministros ejecit, suosque fratres feliciter ad rectam veritatis semitam reduxit, ex quibus alter postea ad Stephani Regis preces a Gregorio XIII. summo Pontifice purpura decoratus est.

Sæcul. XVI.
A C. 1573.

Alter ex hisce duobus Proceribus, nomine Cöthevicus jam a teneris annis ab hæreticis fuerat seductus: verum ad maturiorem ætatem perveniens, mutata animi sententia errores sibi nequiter propinatos ejuravit, ac per ipsum Commendonum Ecclesiæ reconciliatus fuit, adeo, ut ambo hi Proceres, qui apud Lithuanos auctoritate plurimum valebant, non modo pietatis, sed & Religionis studio, ac vinculo conjuncti se devoverent Commendono, qui de eorum fidè, ac auctoritate certus mentem suam circa Regis electionem utrique aperuit, eisque Ernestum Archiducem proposuit: igitur de eorum promissione securus, Cæsarem de tota rei serie certiozem reddebat, missoque ad eum Gratiano secretorum Ministro eundem

Sæcul. XVI. dem de opportunis hoc consilium fe-
 A.C. 1573. liciter exequendi mediis edocebat.

§. LXXXVII.

Hæreticorum molimina de Commendono e Polonia amandando.

*Grat. vita
 Commen. l. 4.
 cap. 5.
 Thu. l. 56.
 pag. 95^o.*

Verum Cæsaris cunctatio prosperi successus spem præcidit, quinimo ipsemet Commendonus rem ad exitum deducere fuerat præpeditus ob turbida hæreticorum consilia; hi enim Legatum pertimescentes, Regemque suæ sectæ addictum deposcentes nil intentatum, inausumque relinquebant, ut illum e Polonia secedere compellerent: cumque illum Cracoviam ad comitia proxime accessurum nossent, ex suis duos ad eum ablegabant, qui eidem nuntiarent, quod inde protinus recederet. Hi deputati Commendono sexta a Cracoviensi urbe Leuca occurrunt, quos Legatus comiter excipiens illos sereno vultu auscultabat, & tandem subridens illos his verbis allocutus fuit: „singulari semper affectu Polonos pro-
 „secutus sum, hinc de vestra sollicitu-
 „dine, qua hisce comitiis intenti estis,
 „vobis gratulor: absit autem a me, ut
 „ibidem tumultum, aut seditionem
 „excitem, sed potius vobis persuasum
 „reddere sollicitus sum, quod unice ad
 „pacis conservationem huc venerim,
 „atque

„atque ad id plus ceteris conferre pa-
 „ratus sim: porro quoad id, quod a
 „me, ut inde recedam, petitis, si hanc
 „in rem Senatus, ceterique Regni Or-
 „dines ad me suos misissent deputatos,
 „in promptu esset, quid responderem;
 „verum res mihi non est cum Viris, ac
 „conventu unius Provinciæ, quæ a re-
 „liquo Regni corpore avulsa aliunde
 „nullius est auctoritatis.„ Dato hoc
 responso Deputatos summa urbanitate
 habuit, eosque perhonorifice remisit,
 ac suum iter profecutus intra paucos
 dies ad quoddam Monasterium prope
 Sixdiam se contulit, ubi aliquamdiu
 subsistens Cracoviam perexit, comitiis
 interfuturus, prius tamen in eodem cœ-
 nobio Gratianus e Cæsaris aula redux
 Commendonum convenerat.

§. LXXXVIII.

*Poloni Andegavensium Duci magis
 propitii.*

Montlucus Valentienſis Episcopus Po-
 lonorum animos in Andegavensium
 Ducis favorem efficacius inclinare sata-
 gebat, non modo propriam adhibens
 industriam, sed suorum quoque Pro-
 curatorum opera usus, qui demando
 suo muneri adeo dextre, ac feliciter
 fungebantur, ut inferiorum comitio-
 rum Nuntii haud obscure intelligerent,
Hist. Eccles. Tom. XLIX. K quod

Sæcul. XVI.
 A C. 1573.

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

quod ex omnibus Regni competitoribus nulli præter Andegavensem Ducem major spes affulgeret: hic vero præcipue sibi longe copiosorem faventium factionem exinde conciliabat, eo quod quidam Nanus, nomine Crazosckius natione Polonus hunc Ducem continuo amplis elogiis celebrasset; is enim jam teneris in cunis in Gallias adductus, ac Reginæ dono datus diu suis facetiis totam aulam recreabat, cumque astutia plenus esset, tam provide rebus suis prospexerat, ut brevi locuples evaderet, unde cum itineris in patriam suam suscipiendi expensas ferendo par esset, adhuc vivente Augusto Rege in Poloniam revertebatur: cuncti igitur Poloni Proceres hujus Pygmæi aspectu læti de Franciæ aula frequens cum eo colloquium miscere certabant, qui etiam eorum quæstionibus satisfaciens in commendandis Andegavensium Ducis meritis, ejusque fortitudine nunquam exhaustiri posse videbatur, hujusque Principis e-logia post Augusti Regis obitum, tam frequenter iterabat, ut ex primæ Nobilitatis Viris non paucos huic Duci admodum propensos redderet.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Sæcul. XVI.
A.C 1573.*Præstitutum comitorum tempus, locusque pro futura electione.**Thuan. l. c.*

Polonorum animis ita dispositis generalia Regni comitia pro futura electione Varsoviæ ad diem quintam Aprilis indicebantur: paucis vero antediebus illi, qui Andegavensi Duci adversabantur, ut illius res everterent, binas confingebant literas, in quarum prima, perinde acsi a Lotharingio Cardinale ad Commendonum scripta esset, ille Purpuratus istum ad promovendam Andegavensis electionem hortabatur, spe facta, quod sacram Sedem haud potentius, quam hoc patrocínio sibi devincire posset, eoquod hic Princeps vix in Regem electus absque dubio Religionem Catholicam in Polonia iisdem omnino viis restauraturus esset, quibus jam antea tantam nominis sui famam in Galliis acquisierat; proin illos, qui lenitate ad saniora reduci renuerent, ac sese regio mandato opponerent, e regno eliminaturus esset. Alter libellus itidem erat epistola, quam a Galliarum Rege ad Cæsarem eo fine scriptam fingebant, ut certior fieret, quod Rex suos Legatos ad promovendam fratris sui electionem in Poloniam ideo duntaxat misisset, ut a Valentienſis Episcopi

Sæcul. XVI. scopi importunitatibus sese eximeret,
 A C. 1573. nunquam tamen de Andegavenſi Duce
 ad hoc regnum evehendo cogitaſſet, ſi
 Cæſarem ſuum Vitricum pro Erneſto
 Archiduce Filio ſuo hanc coronam pe-
 tiſſe ſciviſſet, ac propterea, ut illius
 electionem magis expeditam redderet,
 Rex Montlucum quantocius revocare
 ſtatuſſet. Verum utriuſque epiſtolæ
 falſitas poſtea detegebatur.

§. XC,

*Montluci oratio in comitiis pro fu-
 tura electione Varſoviæ
 celebratis.*

*Thuan. l. 56.
 pag 951.
 Gratian. in
 vita Com-
 mend. l. 4.
 cap. 11.*

Postea Valentinensis Episcopus elo-
 quentem juxta, ac solidam concin-
 nabat orationem in comitiis pronun-
 tiandam, qua Polonorum animos effi-
 caciter perſuaderi ſperabat: ut vero
 hæc oratio a pluribus intelligi poſſet,
 illam ex latino in Polonicum idioma
 transferri, ac Cracoviæ imprimi cura-
 bat, ipſus autem inde Varſoviam con-
 tendit, quo etiam Hispaniæ Legatus
 venerat, Archiducis partes propugna-
 turus.

Porro hæc comitia, ad quæ triginta
 Nobilium millia confluxerant, in ſat
 ampla planitie ſub tentoriis celebrata
 fuere, atque hujus univerſalis congreſ-
 ſus pro electione habendi dies præfige-
 batur

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

batur quinta Aprilis anni post Christum
natum millesimi quingentesimi septua-
gesimi tertii. Ibidem invocato Spiri-
tus sancti auxilio hæc sancita fue-
rant. I. Exterorum Principum audian-
tur Legati, & Orationum ab eis habi-
tarum exemplaria triginta duo, tot
enim erant provinciæ, seu Palatinatus,
tradantur, II. Palatinorum quivis ad
suæ provinciæ nobilitatem has oratio-
nes deferat, III. præcipuis aliquot
Senatoribus injungatur, ut singularum
petitionum, quas Oratores proposituri
essent, merita discutiant, atque sincere
congregatis cujuslibet competitoris
prærogativas, dotesque exponant, una-
cum utilitatibus, & periculis, quæ ex
eorum electione oriri possent. IV. his
peractis, a Senatoribus, & universa
nobilitate suffragia exquirantur, & in
quem universi totius Regni Ordines,
consentientibus inter se judiciis, con-
venirent, is legitimus Rex habeatur.
Equidem ab initio Senatorum votum
erat, ut prius de legibus, & statutis
condendis ageretur, & tum ad electio-
nem procederetur, propterea Prote-
stantes, qui apud Polonos Evangelici
dicuntur, petebant, ut non tantum
per statuta Sectæ suæ securitati cavere-
tur, sed etiam is, qui in Regem eligen-
dus est, illos nullis legibus adversus

K 3

fidei

Sæcul. XVI.
A. C. 1573.

fidei Catholicæ desertores in Polonia stabilitis subijcere, nec contra eos pænis, ac suppliciis agere posset, quinimo cuilibet liberum sit, quamcunque is opinionem voluerit, tueri, ac pro suo arbitrio cultum, dummodo honestum, Deo tribuere valeat. Verum Gnesnensis Archiepiscopus Cleri, ac Senatus princeps, necnon ceteri omnes Senatores Catholici temerario huic petito acriter sese opponebant, declarantes, nihil se quidem contra Evangelicorum libertatem facturos, imo potius omnia passuros, quam ut ob eam causam ad bellum civile deveniretur: sed iidem periculum subesse demonstrabant, si concessa conscientiarum promiscua libertate, etiam publicis edictis firmata, porta sectis, & omnis generis monstris opinionibus aperiretur.

§. XCI.

*Cardinalis Commendonus in comitiis
auditus.*

*Thu. l. 56.
p. 952.
Gratian in
vita Com-
mend. l. 4.
c. 10.*

Cum ejusmodi contentiones rem in longius protraherent, metusque esset, ne ob nimiam dilationem Nobilitas sumptibus hanc in rem faciendis, necnon longioris moræ tædio gravata interim dilaberetur, hinc Montlucus tandem obtinuit, ut præprimis Legati audirentur, ex quibus prior verba fecerat

cerat Boruffiæ Ducis Orator; hæc enim prærogativa eidem competebat, eo quod hujus regni beneficiarius cliens esset: eo autem suam orationem absolvente Cardinalis Commendonus excipiebatur, ad cujus ædes tres Episcopi, totidemque Senatores Laici deputabantur, qui illum unacum præcipuis ex Nobilitate Polona comitantes singulari honore afficiebant: quamprimum igitur Commendonus advenerat, mox sedem sibi destinatam medius inter Gnesnensem, & Cracoviensem Episcopos occupans Pontificis literas Senatui porrigebat, quibus perlectis orationem suam exorsus tanta rationum gravitate, ac verborum vehementia contra hæreticas factiones declamabat, ut Protestantium Procerum plures illum nonnunquam interrompere molirentur. Tandem Pontificis nomine Polonos hortabatur, ut ejusmodi Regem eligerent, qui Catholicæ Religionis studiosus effræni hæreticorum licentiæ habenas non laxaret, sed potius auctoritatem Ecclesiæ tueretur, qua eversa simul etiam regni fundamenta collabi necesse esset.

„Id, addebat Cardinalis, de insigni vestra prudentia, & æquanimitate in hac maxima rerum consultatione spero, sumpto ex eo augurio, quod cum in

K 4

„li-

Sæcul. XVI.

A.C. 1573.

Sæcul. XVI. „libero regno nati Rege tamdiu carue-
A.C. 1573 „rint, silentibus Regis morte legibus,
 „omnes tamen ex lege vixerint, & sua
 „cuique voluntas, studium, & in pa-
 „triam charitas pro lege fuerit, adeo,
 „ut in tot nobilium, & militarium ho-
 „minum millibus nullus tumultus, nul-
 „la vis, nullæ seditionum turbæ exti-
 „terint; ea igitur animorum tranquilli-
 „tas, & consensio, quæ inter vos vi-
 „get, spem facit, fore, ut eum in Re-
 „gem eligatis, qui eandem etiam in
 „religione pacem, & unionem sectetur,
 „& Christi exemplum, ac præceptum
 „amplectatur, qui est pax nostra, &
 „qui facit utraque unum, per crucem
 „interficiens inimicitias in semetipso, &
 „& dissidentes reconcilians in uno cor-
 „pore Deo, ut ipsi occurramus omnes
 „in unitate fidei, & agnitione filii Dei,
 „& per ipsum habeamus accessum in
 „uno Spiritu ad Patrem.

Attamen Sandomirensis Palatinus
 Legatum perorantem præ ceteris vehe-
 mentius interrumpens ajebat: „Legati
 „potestatem excedis, tibi que Consilia-
 „riorum, Senatorumque authoritatem
 „arrogas, hinc precamur te, ut de rebus,
 „quæ nos concernunt, deliberandi li-
 „bertatem nobis gratiose relinquere
 „velis: minus vero in re aliena sis cu-
 „riosus, ac nostram agendi rationem
 „car-

„carpere desinas; te enim alienigenam
 „esse cogita, ac unice Pontificis man-
 „data, si quæ tibi commissa sunt, exe-
 „cutioni dare sollicitus existas. „

Sæcul. XVI.

A.C. 1573

Ad hæc Palatini verba Senatores
 una omnes sese erigebant, cunctique
 Nobiles, qui rursus ad eos convenerant,
 tanta indignatione erant commoti, ut
 in crebras injurias, minasque contra
 hæreticos erumperent: quinimo Co-
 thevicus, & Lasckius e suo loco exce-
 dentes gladium stringere parabant, ad
 eo, ut abs dubio ingens suscitatus fuisset
 tumultus, nisi Palatinus suam dicen-
 di libertatem inhibuisset, ac Legatus se-
 reno vultu signum dextera dedisset, pe-
 tens, ut sibi modicum differendi spatium
 indulgeretur, quo obtento, cunctisque su-
 as sedes repetentibus Commendonus ad
 Palatinum conversus, eundem his verbis
 subridens alloquebatur: „Quis sim, &
 „quæ mei sint officii, haud ignoro, eaque
 „opere expleo, quæ mei muneris esse
 „dicis; nam jussa mihi a Pontifice de-
 „mandata exequor, certusque existo,
 „quod ipse non modo sollicitus sit de
 „Regis electione, quam nunc facere co-
 „gitatis, sed etiam de vestra salute, ac
 „tranquillitate totius regni, quod for-
 „tuna, & gloria præstantissimum red-
 „dere satagit. Ceterum non te solum
 „impræsentiarum alloquor, sed verba

K 5

„mea

Sæcul. XVI. „mea ad totum hunc confessum dirigo:
A C 1573 „equidem non sum Senator, aut nec
 „te esse Senatam recordare.„ His
 præmissis Commendonus orationem suam cum tanta verborum concinnitate, animique serenitate prosequatur, ut de iis, quæ proferre parabat, ne unicum quidem verbum excideret. Postea Gnesnensis Archiepiscopus nomine totius confessus summo Pontifici, & Legato gratias rependit ob ingentem sollicitudinem, qua pacem, & Poloniæ salutem promovere satagerent, demum Legato fidem dabat, quod Senatus salutaria hæc consilia exequi intentus foret. His ita peractis Commendonus secessit, eumque totus Senatus Sandomiriæ Palatino, & quibusdam aliis hæreticis Proceribus exceptis, usque ad suum Palatium comitabatur.

§. XCII.

*Cæsaris Orator ad colloquium admissus.**Thu. l. 56.*

Altera die Cæsareus Orator nomine Guilielmus Ursinus Rosebergius supremus Bohemiæ Burgravius ad colloquium admittebatur, cui a Cæsare adjungebatur Andreas Dudithius, legationis utique princeps futurus, si ut in pristina apud Cæsarem gratia, sic in Majorum religione perseverasset: cum vero Austriacæ Domui addictissimus esset,

esset, hinc ad urgendam Ernesti Archiducis electionem ceteris magis idoneus credebatur, quamvis nonnisi secundus Legationis locus eidem fuisset attributus, ne exinde Papa offenderetur: itaque Rosenbergius in suo sermone præcipue Ernestum Archiducem præ quocunque alio commendabat, eo quod Sclavonicæ linguæ, quæ Bohæmis æque, ac Polonis communis est, peritia clarus hisce populis vicinior esset, ac proin auxilia, cum opus foret, in proximo haberet, quod a longinquis Principibus regni competitoribus sperari nonposset. Denique exponebat, quod tunc, si Poloni Gallicæ Nationis Principem electuri essent, ægre admodum ei accessus ad regnum suum a Germaniæ Principibus concedendus foret.

§. XCIII.

Valentinensis Episcopi oratio pro Andegavensium Duce.

Eadem die Franciæ Oratores accersiebantur, Montlucus tamen morbum caussatus rem usque ad alteram diem differre postulabat; hujus autem moræ opportunitate usus sese ad diluendas Rosenbergii rationes accingebat, hinc cum ejus oratio jamjam typis impressa esset, quinque nova adhuc folia eidem inferere cogebatur, ejus autem sermo circa

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

Thuan. l. 6.

Sæcul. XVI. circa præcipua puncta, quæ nondum
A. C. 1573. in apologiis in lucem editis fuere agi-
 tata, versabatur, eorumque primum
 ipsam Andegavensis Ducis Personam,
 necnon amplas, quas possideret, Pro-
 vincias respiciebat, alterum vero com-
 plectebatur rationes, quibus Præsul Du-
 cem propter Colinii Architalassi necem
 vindicabat, exponens, quod hic idem
 maris Præfectus suam Patriam Calvinii
 erroribus infecisset, multaque militum
 otiosorum agmina seditionis tempore
 aluisset, ut suorum concivium sangui-
 nem fundere posset: cum autem hic
 Episcopus de ipso Andegavensi Duce
 sermonem infleceret, eundem ob Na-
 tionis suæ gloriam, generis splendorem,
 ætatem imperio maturam, & morum
 probitatem cum rara ingenii præstantia
 conjunctam, necnon ob suam in Rei-
 publicæ administratione peritiam, at-
 que in re militari experientiam, felici-
 tatemque in omnibus expeditionibus
 suis comprobatam commendabat: his
 dictis illud, quod de Polonicæ linguæ
 ignorantia objiciebatur, diluit, & simul
 refellit, quod Dux nullas Provincias
 Imperio Polonico adjungere posset: præ-
 terea, quæ ejus rei commoda, & emo-
 lumenta ex Andegavensis electione spe-
 rari possent, multis verbis profequitur,
 simul hæc exponens: „Nullæ illi sunt
 „cum

„cum quovis principe inimicitiae, aut **Sæcul. XVI.**
 „ullæ de finibus controversiæ; nec ho- **A. C 1573.**
 „stis regni unquam fuit, sed e gente
 „nominis Polonici amantiſſima ortus:
 „inſuper magnæ illi in Gallia ditio-
 „nes, & opes in iis ſuppent non mediocres,
 „cum ejus vectigalia ad quadringenta
 „quingenta aureorum millia excur-
 „rant: hinc claſſem ex iis in regni uſus
 „comparare ex ſuis ſumptibus poteſt, ad
 „Narvicam navigationem tuendam, con-
 „ſervandumque cum Moſcovitis, &
 „Livonibus commercium, & Vaſcones
 „in has oras ſeptentrionales, dum ne-
 „ceſſitas poſcet, transportari valent;
 „nam a portibus Galliae Gedanum uſ-
 „que tantum decem dierum navigatio
 „intercedit: qua opportunitate omnes
 „Europæ nationes ab hoc commercio
 „excludi poſſent: porro his opibus
 „Academiam Cracoviensem, & Gym-
 „naſium in ea inſtitutum inſtaurare po-
 „tens erit. „ His præmiſſis Montlucus
 ea, quæ de crudelitate ab adverſariis
 objecta fuerant contra Regem, & ipſum
 Andegavensem, multis verbis, & pro-
 lixa narratione refellere aggrediebatur,
 & Regis patientiam, ac utriuſque be-
 nignitatem, & clementiam plurimum
 dilaudans, tumultum Pariſienſem ne-
 ceſſitate potius, quam conſilio conti-
 giſſe oſtendit, atque Regem poſt turbas
 Lu-

Sæcul XVI. Lutetiæ sedatas, nequid simile in ce-
A.C. 1573. teris Regni urbibus accideret, edicto
per dispositos equos celerrime perlato,
& propolitis gravissimis in edicti contem-
ptores pænis prohibuisse dixit: „Huic
„edicto, prosequeretur Episcopus, pa-
„ruerunt urbes omnes, sex exceptis,
„in quibus plebs efferata, & superio-
„rum temporum injuriis, quas a Pro-
„testantibus acceperunt, lacerata nulla
„ratione cohiberi potuit: Andegaven-
„sis autem, cum sententiam suam de
„hac re edicere rogaretur, omnino re-
„cusabat, cum inhonestum sibi fore exi-
„stimaret, quod eos, quos armatos, &
„validissimis exercitibus stipatos toties
„fortissime profligasset, extra bellum
„interimendos judicaret, atque il-
„los, quibus belli fortuna pepercisset,
„lanienæ exponi, & a plebis feroci-
„entis sæce jugulari permetteret: is
„enim talis est, qui nunquam irasci, vel
„semel commoveri visus est, nec ullius
„cujusquam os offendit, & nemini un-
„quam convicium dixit, aut vim intu-
„lit, qui si Rex a Polonis eligatur, co-
„gitationes, & affectus, & consilia sua
„omnia ad hoc unum est revocaturus,
„ut eos facti nunquam pæniteat, & a
„subditis sibi populis, & a posteritate
„Rex pius, bonus, prudens, fortis, ac
„pater

„pater patriæ vere, & non adulatorie
 „dici mereatur. „

æcul. XVI.
 A.C. 1573.

Hanc Montluci orationem tam festivæ acclamationes excipiebant, ut Andegavensem Ducem procul dubio, si statim ad electionem procederetur, nemine refragante nominatum iri apparet. Postmodum cum Montlucus suo sermoni finem imponeret, Sueciæ Orator declamabat, ac demum ceteri Oratores suo quisque ordine audiebantur, quibus omnibus postea verbis non adeo prolixis responsum est, paucis vero post diebus exhibito Senatus edicto Oratores unaomnes Varsovia excedebant, atque in alio loco comitiorum exitum præstolari jubebantur, quam in rem singulis nonnullæ, ad quas sese reciperent, urbes fuere assignatæ.

§. XCIV.

Hæretici Commendonum excludi a Senatu postulantes.

Hæretici, cum Commendonum pariter in hoc edicto comprehendi, & eisdem æque, ac ceteris recessus locum designari postularent, hinc palam exponebant, quod haud necesse sit, arbitrium, ac rerum Polonicarum, quas tamen secretas tenere e re foret, testem e longinquo advocare, præcipue cum aliunde præter morem accidat, quod

*Gratian. in
 vita Com-
 mend. l. 4.
 c. 11.*

Sæcul XVI. quod in comitiorum loco auctoritas præ-
A.C. 1573. valeat exteri Principis, qui Polonis
 quamdam suæ libertatis partem adime-
 re posset: unde ceteri Legati merito
 querendi ansam captare valerent, si
 Legatus Cardinalis Varsoviæ remane-
 ret, ceteris inde excedere iussis. Ve-
 rum cunctis hisce cavillationibus Catho-
 lici sese opponebant, cum autem hæc
 contentio indies recrudesceret, atque
 haud parum Senatores perturbaret,
 Commendonus omnem dissensionis um-
 bram prævertere intentus ultro Scher-
 nevicium oppidum duorum dierum iti-
 nere Varsovia dissitum secessit: postea
 vero omnes patriæ probe affecti nulla
 mora electioni insistere satagebant,
 quamvis eam, ob novas difficultates
 ab iis, qui se Evangelicos dicunt, susci-
 tatas differre oportuerit.

§. XCV.

*Hæreticorum postulata in comitiis ante
 electionem proposita.*

Evatian. l. c. **H**æretici cum ingenti arrogancia pete-
 bant primo I. Evangelicorum li-
 bertati novis legibus, atque edictis ido-
 nee caveatur, simulque Regum aucto-
 ritas imminuatur. II. Vetera edicta
 corrigantur, eaque tempori, ac præ-
 senti Reipublicæ statui accommodentur:
 porro hoc obtentu, quo jus publicum
 emen-

emendare simulabant, hæretici prisca regni edicta contra ipsos promulgata, aut labefactare, aut omnino penitus abolere moliebantur, sibi haud temere persuadentes, quod ipsi eo majori vitæ licentia uti possent, quo minor esset Regam auctoritas: quinimo perverfis suis consiliis eo temeritatis etiam prolapsi fuerant, ut sperare auderent, quod tunc, si regiam Majestatem nobilioribus suis juribus spoliare possent, postmodum exteri Principes haud amplius Polonicum diadema, utpote exiguo dignitatis splendore clarum, ac nonnisi gravi pondere onustum ambituri essent, proin ipsi facile quempiam ex suæ sectæ Viris ad hoc sceptrum promovendi occasionem nanciscerentur.

Sæcul XVI.

A.C. 1573.

Verum Massoviensis Provinciæ Nobiles, qui maximo numero ad hæc comitia confluerant, habito conventu ex suis quempiam nomine Cossobutum, virum ingenii acie, orisque facundia percelebrem ablegabant, qui hæreticis respondens eorum fraudes, quas zelo erga publicam libertatem nequiter obvellabant, in pleno confessu manifestas redderet. Hic quoque admodum vehementer perorabat, coram Senatu palam professus, quod nisi prompte ad Regis electionem, propter quam solam

Hist. Eccles. Tom. XLIX.

L. co-

Sæcul. XVI. comitia fuissent indicta, procederetur,
A.C. 1573. Nobiles haud amplius sese Senatus au-
 ctoritati committere, sed potius ipsimet
 suis, regnique rebus prospicere parati
 essent, cum Respublica diutius Princi-
 pe suo carere non posset. Huic consi-
 lio Catholici Senatores, ac Masovien-
 sium potissimi applaudebant, ex adver-
 so autem hæretici querebantur, quod
 Masovienses sibi rerum summam ven-
 dicantes Senatui leges præscribere au-
 derent: postquam vero mutua hæc al-
 tercatio aliquot dies tenuerat, tandem
 Senatus vociferationibus, ac plurimo-
 rum, qui Regem eligi petebant, minis
 territus præcepit, ut die quarta Maji
 electio institueretur: prius tamen Mont-
 lucus antea Posckium secedere iussus
 Varsoviæ permanendi facultatem exo-
 rabat adversam causatus valetudinem,
 hoc autem obtentu usus comitia acce-
 dendi occasionem nanciscebatur, ubi
 etiam habita rursus oratione cuncta,
 quæ contra condiciones a Rege oblatas
 Gallici nominis hostes perperam obje-
 ctabant, refellere nitebatur, innovatis-
 que hisce pollicitationibus sincerum Re-
 gis animum deprædicabat.

§. XCVI.

*Conventus pro Regis electione ha-
 bitus.*

Die

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

Gratian. l.c.

Die ad Regis electionem præstituta
singuli sedes suas occupabant quis-
que juxta ordinem sui Palatinatus, quo
nomine Poloni suas Tribus nuncupant,
in quibus Episcopi, plerumque ibidem
præstant, ac præ ceteris primi sua fe-
runt suffragia, cunctaque in delibera-
tionem vocanda in suis cœtibus refe-
runt, ubi quivis suam sententiam alta
voce pronuntiat: itaque Episcopi in sua
quisque Tribu collocati, priusquam Re-
gis electionem proponerent, in genua
procubuere, quod & a reliquis omnibus
postea factum, ita, ut una omnes flexis
genibus intonato Hymno auxilium Spi-
ritus Sancti invocarent: postea cuncto-
rum sententiæ manifestabantur, ac fer-
me omnes Tribuum Principes pro Er-
nesto Archiduce perorabant, quibus-
dam Sueciæ Regem proponentibus:
nonnulli autem ex præcipuis Poloniæ
Proceribus quemdam nominarunt, in-
terim potissima suffragia in Andega-
vensem Ducem conspirabant: ut ergo
tres duntaxat Polonici Sceptri compe-
titores numerarentur, nimirum Erne-
stus, Andegavensis Dux, & Sueciæ
Rex, hinc novem seligebantur Viri, qui
cujusque rationes, ac jura in Senatu
discuterent, adeo, ut Competitorum
cuilibet tres adjungerentur Deputati, &
quidem Andegavensium Duci Cujas-
vientiis

Sæcul. XVI. A.C. 1573. viensis Episcopus, Sandomiriæ Palatinus, & Dantisci Castellanus: Ernesto autem Archiduci Plosckienfis Episcopus, Marioburgensis Palatinus, & Castellanus Lublinensis, denique Sueciæ Regi Cracoviensis, Ravanus, & Podoliensis Palatini, quorum quilibet ferme eadem, quæ in sua tribu dixerat, in comitiis referebat: præcipue vero Plosckienfis Episcopus sermone suo gravibus omnino rationibus suffulto suffragia Ernesto conciliare nitebatur: verum his nec Senatus, nec Nobiles movebantur.

Vicissim Evangelici, & præcipue Cracoviensis Episcopus Sueciæ Regem amplis deprædicabant elogiis, eos tamen Cotchevicus interrumpens proluxa oratione illorum rationes tam potenter refellebat, ut hac de re amplius mentionem facere non auderent. Demum Cujaviensis Episcopus pro Andegavenfi Duce perorabat, quem etiam universus Confessus perbenigne excipiens sua attentione, ac silentio suam in hunc Ducem propensionem haud obscure manifestabat; cunctorum enim vultus ad serenitatem compositi cernebantur: quapropter hic idem Præsul, qui se ejusdem patriæ civem gloriabatur, benigno audientium applausu, atque affectu opportune usus, quotiescunque vel vocis ju-

jubilo, vel manibus complofis sibi applaudi desiderabat, suam orationem nonnihil interrompebat, suumque os, & subinde frontem strophio abstergebat, perinde ac si ad publicos applausus signum edere vellet. Denique omni ex parte congregatorum animus in Ducem propensus deprehendebatur, quapropter quivis suæ Tribus ordinem repetere, ac confessus vota ad Senatum referre jussus est.

Sæcul. XVI.

A.C. 1573.

§. XCVII.

Andegavensis Dux in Polonia Regem electus.

Animis ita dispositis die nona Maji conventu rursus habito ex triginta quinque millibus hominum, qui huic electioni adstiterant, una omnes Andegavensium Ducem in Regem nominabant, exceptis Cracoviensi Palatino, & quingentis circiter hæreticis, ex quibus plures de exiguo suorum numero erubescens mutata animi sententia declararunt, quod & ipsi illum pro Rege agnoscere vellent, quem eis Senatus proponere voluerit: quo facto ad sua contenderunt tentoria.

Grat. l. 56.

Thuan. l. c.

Spond. hoc

ann. n. 8.

Avila hoc

anno l. 5.

Dupleix hist.

de France t.

3. p. 809.

Postea Gnesnensis Archiepiscopus præ gaudio exiliens electum proclamandi jus sibi competere contendebat: cum tamen hæc res ob altercationes usque

L 3

ad

Sæcul. XVI. ad seram noctem protraheretur, hinc
A.C. 1573. eam publicationem usque ad alteram
 diem differre statuit, cum autem pertime-
 sceret, ne propter sequentes Pentecostes
 ferias, in quibus Senatus haberi non
 solet, intra tridui moram facies muta-
 retur, hinc præter morem Andegaven-
 sium Ducem Poloniæ Regem renuntia-
 vit: verum hæc agendi ratio reprobata
 fuerat a quibusdam Palatinis, caussan-
 tibus, quod hæc promulgatio haud le-
 gitime fuerit facta, eaque a Regni Tri-
 bunis fieri consueverit: hinc illam om-
 nino irritam declarabant: sed tandem
 Montlucus rem composuit, proposita
 hac conditione, vi cuius proclamatio
 ab Archiepiscopo facta pro simplici de-
 claratione haberetur, de cetero a tri-
 bunis Regni rursus more solito eadem
 fieret: qua in re rursus nova contentio
 circa proclamationis locum exorta est,
 cum ii, qui contradicebant, eam sub
 tentoriis fieri debere dicerent: ast Ar-
 chiepiscopus nulla ratione adduci po-
 tuit, ut electione semel facta ex urbe
 ad tentoria reverteretur, verum Mont-
 luci precibus exoratus tandem acquie-
 vit, & quinto post die coram Franciæ
 Legatis Ploscovia evocatis, primum a
 Joanne Firlejo Dambroviczano, Craco-
 viensi Castellano Regni Tribuno, postea
 autem ab aulæ Marescallo, ac denique

a Samogitiæ Palatino, qui Tribuni Lithuanix vices agebat, Henricus illustrissimus Princeps, Andegavensis Dux Poloniæ Rex renuntiabatur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1573.

Hujus electionis decreto Episcopi, Palatini, & Castellani nonnisi ægerri-
me subscribebant, quo tamen confecto
ceterorum cura unice eo abibat, ut il-
lud ad Regem recens electum in Gal-
lias transmitteretur, quam in rem tre-
decim nominabantur Oratores, qui il-
lud deferrent, Regique porrigerent.

§. XCVIII.

Cracoviensis Evangelicorum Synodus.

Cum interea hi Oratores iter suum pro-
sequerentur, illi, qui se Evangelicos
dicebant, exeunte Mense Septembri Cra-
coviæ circa sectæ suæ negotia genera-
lem celebrabant Synodum, in qua cun-
cta decreta tribus adhinc annis Argen-
tinæ condita confirmabant, suisque fra-
tribus tam Confessioni Augustanæ ad-
dictis, quam Bohemis suas consuetudi-
nes, ritusque servandi libertatem indul-
gebant; quippe ob Cardinalis Com-
mendoni absentiam audaciores effecti
fuerant.

Thu. l. 56.

§. XCIX.

Commendonus in Italiam reversus.

L 4

Electo

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

Electo novo Poloniæ Rege Commendonus Legatus datus ad Papam literis in Italiam redeundi veniam postulabat, quamvis summus Pontifex exoptaret, ut recens nominati Regis adventum præstolaretur, illumque in primis regni sui auspiciis salutaribus consiliis adjuvaret, nec minus id Franciæ Oratores a Commendono exorabant: cum autem Viro de Ecclesia adeo bene merito hæc gratia denegari haud posset, Papa literis benevolentia plenis eisdem rescripsit, quod ejus arbitrio relinqueret, an Romam venire, vel Regem expectare vellet: Commendonus autem urbem repetere statuens Gratianum, quem a secretis habebat, in Polonia reliquit, dato eidem negotio, ut tandem, usque dum Rex ex Galliis advenisset, ibidem subsisteret, eo fine, ut tunc, si hæretici mutata rerum facie rursus Regni tranquillitatem interturbare molirentur, saltem non deesset, qui summi Pontificis nomine illos præpedire posset, ne quicquam contra veram Religionem moverent.

§. C.

Poloniæ Legati Parisios venientes.

Die decima nona Augusti Poloniæ Legati Lutetiam Parisiorum venerant, ubi ab utroque Rege, totaque aula

aula cum debiti honoris testificationibus fuerunt excepti. Tertia post adventum die sistebantur Regi, cujus dexteram osculabantur, ac Posnaniensis Episcopus suorum sociorum nomine verba faciens ita diserebat: „cum Polonica Natio sui erga regiam Majestatem affectus testimonium magis luculentum haud edere potuisset, nisi dum ejus Fratrem ad ejusdem diadematis honorem assumpserat, duntaxat ejusdem precibus ad id permota, hinc hujus felicitatis nuntium allaturi in Franciam contendimus, spe freti, quod hæc electio in totius Europæ commo- dum cedat. „ Ad hæc Rex ob Legatorum adventum se gaudio affici testabatur, ubi iidem postea ad Reginae Matris, necnon ad regis Conjugis alloquium admittebantur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1573.

§. CI.

Oratores novum Regem salutantes.

Altera die Poloni Oratores equis vestiti sua obsequia novo Regi suo non ita pridem a Rupellensi obsidione reverso deferre parabant, qui etiam a præcipuis aulæ Proceribus ad eundem introducti perbenigne excipiebantur, hac etiam occasione Posnaniensi Episcopo perorante, qui hæc effatus est: „cum regnum per Sigismundi Augusti obitum

Thu. 1. 57.

L 5

„tum

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

„tum vacasset, Senatus, Nobilitas, omnesque ceteri Ordines tam in Polonia, quam in Lithuania comitia egerunt, collectisque suffragiis pro more nostris Majoribus solemniter ac usitate in Regem suum elegerunt, ut utriusque Nationi imperares, attamen te memorem fore rogamus, ut eodem animo, quo tibi regnum detulimus, illud accipias, neque demonstrates, quod regium decus non magis studio, & voluntate gentis, quam egregiis tuis in Rempublicam Christianam meritis consecutus, illudque hac ratione moderari, ac tueri tenearis, præprijis vero sacramenti religione te obstringere, ac polliceri debes, quod ea, quæ in pleno Senatu per Franciæ Oratores spondidisti, atque obtulisti, opere explere velis: postea & ego, meique focii cum summa animi lætitia effectui dabimus omnia, quæ unanimi suffragio in Ordinum comitiis sancita, & conclusa fuere, nec ullo pacto venerationi, obsequio, & fidelitati Regi, ac Principi nostro debitæ deerimus.

§. CII.

Poloniæ Regis responsum hisce Oratoribus datum.

Thuan. l. c. Postmodum Rex latino sermone Deo omnipotenti Maximo, & Regni Ordini-

Sæcul. XVI.
A. C. 1573.

dinibus, quod ipsum in hujus inclytæ
 Nationis Regem elegissent, gratias egit,
 palam professus, quod præclaræ de se
 conceptæ opinioni respondere vellet:
 demum Philippus Huraltus Chivernius
 Regis Cancellarius orationem profecutus
 ita effatus est: „ nihil jucundius
 „ Regi accidere potuisset, quam vester
 „ adventus, vicissim vero regia sua Ma-
 „ jestas ad capeffendum regni, cujus
 „ possessionem post Deum vestræ debet
 „ liberalitati, regimen quantocius in Po-
 „ loniam contendere statuit, palamque
 „ fatetur, quod quamvis de hac lega-
 „ tione semper nonnisi præclare senserit,
 „ nunc tamen sua expectatione majora
 „ expertus sit, cum vos nec itineris lon-
 „ gitude, nec viarum asperitas a susce-
 „ pto Legationis proposito absteruerit,
 „ ideo pro hoc favore Rex per singulos
 „ vitæ suæ dies sese obstrictum profitebi-
 „ tur, & sicut in gestis antea bellis in-
 „ signe magni Belliducis nomen sibi com-
 „ paraverat, ita & omnibus, qui sub
 „ ejus vexillis militabunt, testatum fa-
 „ cere conabitur, quod meliori adhuc
 „ titulo liberalis, ac gratissimi Principis
 „ nomen promereatur, insuper paratus
 „ est, omnes sancitos utrinque articu-
 „ los ratos habere, ac confirmare, quam-
 „ primum illorum exemplar eidem exhi-
 „ bebatur. „ Finito hoc sermone Orato-
 res

Sæcul. XVI. res Regis manum deosculantes eundem officiose salutabant, Rex vero apprehensa Posnaniensis Episcopi dextera ad suum cubile eundem deduxit, quem sequebantur ceteri Legati, ubi diutius conferentes die ad vesperam inclinata recesserunt aliquot dierum spatium sibi indulgeri postulantes, ut de exequendis iussis sibi demandatis deliberare possent: altera autem die Regem, Navarræ Reginam, Borbonium, & Lotharingæ Cardinales convenerunt.

§. CIII.

Postulata circa Religionem Poloniae Regi exposita.

Thu. l. 57. Biduo post Posnaniensis Episcopus unacum hæreticorum Oratoribus, quos Senatus deputabat, denuo ad Poloniae Regis alloquium admissus eidem libellum supplicem porrigebat, in quo plura exponebantur postulata, atque inter alia primo hæc continebantur: Rex possessionum suarum, ac bonorum, quæ in Galliis habet, redditus per mensarios in Poloniam transmittere teneatur. II. Universitatem, & Academiam pro Cracoviensi Nobilitate stabiliri curet. III. Privilegia, Nationisque immunitates fartas servet. IV. In Ecclesiastica jurisdictione nullum sibi jus vendicet. V. Cuilibet juxta suam religionem vivendi liber-

Gratian. l. 4. c. 12.

Sæcul. XVI.
A. C. 1572.

libertatem concedat. VI. Pro firma pace inter suos subditos diversæ religioni addictos, edicta postmodum servanda promulget. Hunc postremum articulum hæretici, qui Posnaniensem Episcopum comitabantur, præcipue urgebant, a Rege postulantes, ut hæc sectæ suæ libertatem jurato promitteret, hancque sponsonem violari nullatenus concederet. His quoque addebant, quod Regis Oratores id interposita juramenti religione promississent, ac proin horum fidei sese committerent. Verum Catholici, qui novum Regem comitabantur, responderunt, quod Rex duntaxat leges in regno receptas servare teneatur, ac privatorum postulata nullatenus publicæ utilitati præjudicio esse possent. Hoc responso vix non quædam altercatio fuit excitata, cum quivis suam opinionem tueri satageret, ac præprimis Biragus Cancellarius, Morvillerius, Albaspinæus, & quidam alii in mandatis, quæ Franciæ Rex suo Oratori dedisset, nil tale contineri affirmabant.

§. CIV.

Montluci testimonium de pollicitatione Polonis facta.

Cum autem præ Montluco nemo alius hac de re plenior habuisset

no-

Sæcul. XVI
A.C. 1573.

notitiam, eique speciatiim hæc mandata fuissent injuncta, hinc ipse rei veritatem detegere jubebatur; tum enim e Francia reversus opportune advenerat: hic itaque fatebatur, quod quidem de Religionis dissidiis quicquam agere jussus non fuisset, cum vero hæretici Parisiensem Protestantium cædem non casu, sed studio, atque ex præmeditato consilio patrâtam fuisse contenderent, eapropter, ut hanc opinionem dimitterent, oportebat, Rex se de tantæ crudelitatis Auctoris pænas sumpturum promitteret, ac de cetero Protestantibus idonee caveret, & edicta in eorum gratiam a se facta servaret, cum præteritorum ultionem, & in posterum securitatem suis populis deberet. His rationibus victum se, ac persuasum Monachus agebat, ut hæc Regis nomine promitteret, veritus, ne eos, si id recusasset, minus placatos haberet, & procedenti feliciter electionis negotio remora, aut impedimentum inde afferretur. Verum rem ejusmodi esse addebat, ut ea nequaquam ad Polonos pertineat, nec ejus ratione Rex teneatur.

§. CV.

Oratorum postulata a Poloniæ Rege elusa.

Cum

Cum id nihilominus hæretici Orato-
res improbis flagitationibus urge-
rent, suisque postulatis petulanter in-
sisterent, ex altera vero parte Montluci
hostes temere ab eo præter mandata
eidem injuncta hæc fuisse actitata op-
ponerent, hinc Rex, priusquam rem
decideret, privatim cum Posnaniensi
Episcopo, solisque Catholicis Orato-
ribus rem communicavit, & post cre-
bras ultro, citroque habitas contentio-
nes hæreticorum petitiones variis lu-
dificationibus penitus elusit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.
Thuan. l. c.

§. CVI.

*Juramentum a Poloniæ Rege in Ec-
clesia Beatæ Virginis nun-
cupatum.*

Postera die, quæ præstandi juramenti
solemnitatibus erat præfixa, in ma-
jori Urbis Templo Beatæ Virginis tota
convenerat aula; nam illinc accesserant
uterque Rex, Reginæ, legati Po-
loniæ etiam Evangelici, Pontificis, Hi-
spaniæ, Scotiæ, Venetorum, aliorum-
que Principum Oratores, Carolus Bor-
bonius, Carolus, & Ludovicus Lo-
tharingii, Aloysius Atestinus Cardina-
les, necnon Episcopi quamplurimi, Se-
natores, Aulici, plerique cives in tanta
frequentia, ut nullus in vastissimis ædi-
bus locus vacuus fuerit. Peractis sa-
cris

Thuan. l. c.

Sæcul. XVI. A. C. 1573. cris Henricus ad aram maximam coram Petro Gondio Episcopo propositis Sacrosanctis Evangeliiis se jura cuique sua in Polonia, & Lithuania illæse servaturum jurato spondit, eodemque loco Franciæ Rex juravit, se servaturum ea, quæ per Monlucum, Ægidium Noallium, & Vidum Sangelsium Aginni Itiobrigum Præfectum Oratores suos in comitiis illis pactus esset. Tum Rex lautissimum hospitibus suis Poloniæ Oratoribus epulum dedit: perendie vero cum ad colloquium vocati essent, recitatæ sunt literæ Cæsaris, & Principum Germaniæ, quibus sacri imperii Ordines rogati, ut Henrico in Poloniam profecturo iter per Germaniam facere liceret, ipsi, & comitatui ejus transeundi copiam dabant.

§. CVII.

*Electiõnis decretum recitatum.**Thuan. l. c.*

Hisce peractis reliquum erat, ut decretum electionis publice, & ritu solemni recitaretur, porro id ipsum quoque actum est die nona Septembris in amplissima Palatii Aula, ad quam solemnitatem omnes Principes, Regni-que Ordines fuere convocati: ubi cum cuncti, qui ad hunc confessum conveniant, suas sedes occupassent, Legati Poloni clangentibus tubis ingrediuntur, ad

Sæcul XVI.
A C. 1573.

ad fores excepti, qui a Guisio Magno palatii Magistro ad regium thronum deducuntur, ubi depositum erat decretum arcæ argenteæ inclusum: porro ibi Posnaniensis Episcopus pauca præfatus de Polonorum erga Regem cultu, ac studio, ab eo demisse petiit, velletne, ut Senatus decretum, quo ejus Frater Henricus Rex Poloniæ dictus esset, ipsi coram afferretur, recitareturque, cum ergo responsum esset, id sibi placere, quantocius Sanockiensis Castellanus hoc Senatus consultum recitabat: hoc facto Henricus Rex actis Deo gratis coram Regni sui Ordinibus, ipsisque Legatis testabatur, quod decretum hoc honorificentissimum sibi gratissimum simul, ac jucundissimum esset. Postea Carolus IX. fratrem suum amplexus, ac deosculatus est, nec minus Franciscus frater, & Henricus Navarrorum Rex Sororius ad osculum pariter admissi: ceteri vero Principes, sed dispari dignatione, novum Regem venerati sunt: legatis quoque Polonis Regis sui dexteram deosculari datum est, ac demum tota hæc solennitas finem habuit.

§. CVIII.

Poloniæ Rex Lutetiam Parisiorum ingressus.

*Hist. Eccles. Tom. XLIX. M Alte**

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

Thuan. l. c.

Altera die Henricus Rex cum ingenti pompa Parisios ingrediebatur; nam erigebantur in omnibus Urbis compitis arcus triumphales, quæ Statuis, ac picturis, variisque inscriptionibus tam ligato, quam soluto idiomate in Polonorum laudem concinnatis ornatae erant: insuper plura spargebantur carmina de iis elucubrata rebus, quæ hanc solemnitatem præcipue concernebant: Vespere autem Regina Mater Senatus Oratores in suo Palatio, quod a turriculis nomen habet, magnifico excepit convivio: demum vero Poloni splendidis muneribus aucti, atque in eorum gratiam genialia festa, equestres ad trahendum annulum decursiones, ludicra certamina, celebres choreæ, & ceteræ omnes, quæ excogitari poterant, festivæ jucunditates instituebantur.

§. CIX.

Rambulietus a Rege in Poloniam missus.

Thuan. l. c.

Priusquam Poloni Oratores e Galliis abibant, bene visum est, ut Joannes Sborovius in Poloniam præmitteretur, qui Senatum certiorum faceret de successu legationis, & de prompta Regis profectioe, necnon de tempore adventus sui in Poloniam, ut Regni hujus Vasalli ad inaugurationem edicto voca-

vocarentur: insuper Nicolaus An-
 geneus Rambulietus, qui jam multis
 legationibus magna cum prudentiæ
 laude defunctus fuerat, a Rege mitte-
 batur, ut Senatum conveniret, & Re-
 gis nomine gratias ageret, eoquod ad
 ipsius commendationem apud ipsos fa-
 ctum esset, ut in fratris sui electionem
 consensissent.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1573.

Porro hic in Poloniam delatus ad
 Annam Sigismundi Augusti Sororem,
 quæ Henrici electionem plurimum pro-
 moverat, sese contulit, eamque utrius-
 que Regis nomine salutavit, porrectis
 officiosæ gratulationis literis: postea
 autem Gnesnensem pariter invisit Ar-
 chiepiscopum, qui tum absente Rege
 regnum administrabat, Gallisque sese
 semper summopere propensum exhibe-
 bat: demum Cracoviam petens altera
 post adventum die in Senatum intro-
 ductus est, ubi in amplioris honoris te-
 stimonium eo præsentem deliberatum fuit
 de ratione belli gerendi contra Ma-
 gnum Moscoviæ Ducem, de quo fama
 ferebat, quod unacum numeroso exer-
 citu Lithuaniam, & Livoniam invadere
 decrevisset.

§. CX.

Poloniæ Regis discessus.

Postquam cuncta ad novi Regis di-
 scessum in Poloniam parata essent,

Thuan. l. 57.
 Avila l. 5.
 Spond. n. 10.

Sæcul. XVI. Rex die vigesima octava Septembris
A C. 1573. Lutetia discessit, comitantibus eum il-
 lius Matre, ac Procerum quampluri-
 mis, qui eum reliquerant Blamontii
 exiguo Lotharingæ oppido: Catha-
 rina vero Medicæa Filio suo obortis
 lacrimis valedicens incautius hæc verba
 proferebat: „Ito, ito, Fili mi, haud
 „diu in Polonia moraberis:„ cum au-
 tem hæc verba a nonnullis perciperen-
 tur, temere suspicabantur, quod Ca-
 roli IX. Regis infirmitas, qua postea op-
 primebatur, ex venenato potu procura-
 rata fuisset. Ceterum Henricus totam
 Germaniam prætervectus exeunte Men-
 se Januario anni sequentis ad Poloniæ
 fines pervenit, Regina vero Mater in
 Franciam reversa est.

§. CXI.

*Calvinistarum Legati ex Aquitania,
 & Occidania ad Regem missi,
 eorumque postulata.*

Thuan. l. 57. **F**erventibus hisce motibus Protestan-
Mezeray tes, edito post Rupellensem dedi-
abregé t. 5. tionem promulgato, sese subicere recu-
pag. 283. sabant, quapropter in Aquitania, &
Spond. ann. Occidania eodem die, quo anno priori
ad hunc in sancti Bartholomæi festo Parisiensis
ann. n. II. clades peracta fuerat, convenerunt,
 ac conscriptis quibusdam articulis li-
 bellum supplicem confecerunt, quem ad

ad Regem tum Villeriæ in Retia agentem transmittent: porro summa postulorum hæc erat, ut præprimis Regi ob egregiam erga Protestantes voluntatem, & studium pacis, quæ ad statum Galliæ constituendum adeo necessaria erat, gratias agerent, & eundem demisse orarent, ne in malam partem acciperet, si recentis lanienæ Parisiensis adhuc sensu territi, amplius securitati suæ consuli peterent: „neque enim, inquiebant ipsi, de præclara Regis voluntate dubitamus, sed cum videamus, quod ipse pravorum consiliorum impulsu, qui nunc in aula præcipuum auctoritatis fastigium tenent, se auctorem immanis illius facinoris, a quo ingenitam ejus bonitatem abhorrere scimus, publicis quoque literis perhibuerit, cum paulo ante factum illud publice esset detestatus, hinc merito veremur, ne eorundem artibus pax edicto nuper facto sancita violetur, nisi potentioribus remediis ea firmetur: ad eam rem igitur postulamus, ut eæ urbes, quas tenemus, nostrorum militum, quibus ex ærario regio stipendium numeretur, præsidio custodiantur, & præter illas urbes etiam aliæ duæ in singulis Regni Provinciis ex bonorum virorum utriusque Religionis arbitrio designandæ nobis concedantur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

Sæcul XVI. dantur, quæ itidem præsidio ferven-
 A.C. 53 tur, numerato pariter ex regia pe-
 cunia stipendio: infuper petimus, ut
 libera sit per universum regnum Reli-
 gionis, quam profitemur, nullo loco-
 rum discrimine administratio, atque
 ex Protestantium numero Senatus in
 Regno constitutatur, qui jus inter nos
 dicat: præterea postulamus, ut pro
 alendis nostrarum Ecclesiarum Pasto-
 ribus, illæ quæ ex fundis Protestantium
 percipiuntur, decimæ impendantur,
 omnesque cædis prioriano commissæ
 auctores, vel administri, tanquam præ-
 dones, & publicæ tranquillitatis per-
 turbatores severe puniantur, ac pro-
 pterea edicta Lutetiæ, & Tolosæ ab
 eo tempore contra Protestantes lata
 revocentur: ad hæc oramus, ut Sa-
 cerdotum, & Monachorum, qui Pro-
 testantium doctrinam profitentur, le-
 gitima matrimonia, ex iisque suscepti
 liberi legitimi declarentur, & ad suc-
 cessiones omnes, dignitates, & ho-
 nores admittantur, ejusque rei judi-
 cium penes Judices Protestantes sit,
 Tutores vero pupillorum, quorum pa-
 rentes eam doctrinam amplexi fue-
 runt, eos in eadem Religione educare,
 & instruere teneantur & præcipue
 libera sit ejusdem Religionis in comi-
 tatu Venacensi, & Avenionensi Diæ-
 cesi

„cessi professio, multo minus autem quicquam in causa Religionis per Bear-
 „nensem ditionem contra ea, quæ ex
 „ordinum decreto a Joanna Regis Na-
 „varrorum Matre ordinata sunt, im-
 „mutetur: denique flagitamus, ut om-
 „nes Principes, Magistratus, ac Regni
 „Ordines cunctis hisce articulis servan-
 „dis solemni Sacramento fidem inter-
 „ponant. „

Sæcul. XVI.
 A. C. 1573

§. CXII.

Alia Protestantium postulata in Delphinatu, & Provincia.

Perlecto hoc libello, cui plurimi Pro-
 cures sese subscripserant, Rex sum-
 mam inde indignationem concipiebat,
 quinimo Regina Mater iram dissimu-
 lando impar edicebat, quod Condæus
 Princeps, si adhuc in vivis esset, ne-
 quidem dimidiam harum conditionum
 partem in hoc petulantissimo scripto
 petere ausus fuisset: ast hoc Reginæ
 responso nequaquam Protestantium in-
 solentia imminuebatur, quippe Delphi-
 natus, & Provinciæ Hæretici eodem
 tempore onera, ac vectigalia nova,
 haudque toleranda, quæ contra privi-
 legia, & libertates Philippi Valesii, &
 Ludovici XI. temporibus factas sibi im-
 posita dicebant, pari libertate deprecabatur, quorum tamen omnium postu-
 lata

Thuan. l. c.
 Daniel t. 6.
 pag. 519.

Sæcul. XVI. A. C. 1573. lata, cum præter spem, ac voluntatem Rex cogere-
 tur audire, eaque juvenis maxime omnis injuriæ impatiens ad
 animum revocaret, dissimulato in præfens dolore Septimanos, & Aquitanos
 ad Henricum Momorantium Damvillam remisit, qui illorum querelas ex-
 ciperet: apud Delphinatus vero, & Provinciæ Delegatos, Rex superiorum
 temporum turbas, & onera Regni causatus se excusavit, & in posterum cu-
 raturum dixit, ut populum tributis exoneret, & ad prisca privilegia provin-
 cias, quantum in ipso erit, reducat, quamprimum tranquillitas in Regno
 magis firmata videbitur.

§. CXIII.

Millialdense conventiculum Calvinistarum.

Paulopost Occidaniæ Calvinistæ Millialdi in Rutenis convenerunt, Damvillæ permisso, ubi eadem postulata de-
 nuo agitabantur, & interpretatione quoad nova excogitata capita adhuc am-
 plicabantur, & demum ad ipsum Damvillam exeunte anno missa fuere. Hic
 cum de iis convenire non posset, exacerbatis inde animis, & omissis pacis
 consiliis jam tum ad novum bellum res spectare videbatur, ac propterea in eam
 rem evulgata fuere tunc pleraque scri-
 pta,

pta, in quibus non parum momenti ad incendendos animos addebatur, præprimis enim prodiit libellus de *Servitute Spontanea*, cui etiam anthenoticon nomen, quod opus a Stephano Boetiano Senatore Burdigalensi olim elucubratum, nunc palam publicatum erat ad præparandos seditioni animos: præterea eodem tempore evulgabatur liber sub Franco - Gallix titulo, quo sua ætate celebris Franciscus Hotomannus jurisconsultus probare nitebatur, quod Regnum illud inter Christianorum Principatus florentissimum non hæreditatis jure, sed nobilitatis, ac populi judicio, & suffragiis deferri solitum esset, adeo, ut sicut eligendorum Regum auctoritas, ita eorum abdicandorum, & exauctorandorum potestas penes Regni comitia, & publicum gentis conventum antiquitus extitisset: porro eam in rem ex Philippi Valesii, Joannis, Caroli V. & Caroli VI. ac denique Ludovici XI. temporibus exempla repetebat: insuper tunc alius divulgabatur liber ante aliquot annos Magdeburgicæ obsidionis tempore in Germania editus, in quo quæstio de obedientia Magistratui ex verbo Dei debita fuscè pertractatur, & obedientiam Deo debitam infinitam, hominum vero finitam esse demonstratur, adeo, ut liceret subditis, cum a

Sæcul. XVI.

A.C 1573.

Sæcul. XVI. Magistratu opprimuntur, arma ad fe-
 tuendos capere. In eandem rem e-
 tuendam dialogus sub Politici nomine
 de potestate, auctoritate, & officio
 Principum, ac populi libertate eodem
 tempore in publicum prodiit. Cuncta
 hæc hæreticorum scripta nonnisi ad se-
 ditionis, ac rebellionis ardorem ani-
 mos excitabant, plurimumque confe-
 rebant, ut Regiminis norma reddere-
 tur invisa, bellique flammæ rursus ac-
 cenderentur. (*)

§. CXIV.

*Nova rebellium hæreticorum factio
 in Gallis.*

Thuan. l. 57. Præter binas Catholicorum, & Pro-
 Daniel t. 6. testantium partes tertia conflaba-
 pag. 518. tur factio eorum, qui *Politici*, seu de
 Dupleix Regni administratione queritantes ap-
 pag. 311. pellabantur, eoquod palam contra Mi-
 nistros, ac regimen quererentur, & se
 unice regiminis, cujus corruptelas ex-
 aggerabant, emendationem vindicare
 jactitabant. Hujus factionis præcipui
 Duces erant Montmorentius Thorreus,
 & Hen-

(*) Ita nempe nunquam firma est Princi-
 pis auctoritas, nec salva Regni tranquillitas,
 ubi hæresis invalescit, & vera Religio Ca-
 tholica, aut eliminatur, aut damnanda con-
 niventia variis sectis libertas indulgetur.

& Henricus de Turrenne Vicecomes, Sæcul. XVI.
A. C. 1573.
 qui Alenfonium Ducem natu minorem
 Poloniæ Regis Fratrem, ut huic factioni
 præeffet, urgebant, qui etiam eo prom-
 ptius illorum consiliis aquiescebat, quo
 iniquius repulsam tulit, qua a suprema
 regni administratione, quam ambie-
 bat, exclusus fuerat.

§. CXV.

*Sancti Rosarii Festum a Gregorio
 XIII. institutum.*

Jamjam circiter centum præterfluxere
 anni, ex quo devotio Rosarii, quod
 Beatæ Virginis Psalterium vocatur, a
 quodam Britano Ordinis sancti Domi-
 nici alumno nomine Alano de Rupe,
 qui in Hollandia morabatur, fuerat
 introducta: porro hoc Rosarium cen-
 tum quinquaginta salutationibus An-
 gelicis constat, quarum decem semper
 una oratione Dominica interpollantur,
 hoc vero anno Christi millesimo quin-
 gentesimo septuagesimo tertio die prima
 Aprilis Gregorius XIII. publicam pii
 hujus exercitii festivitatem celebrari
 præcepit, præfixa prima die Dominica
 Mensis Octobris, in memoriam insignis
 illius victoriæ, quam Christiani eodem
 hoc Mense die septima anno Domini
 millesimo quingentesimo septuagesimo
 primo

Sæcul. XVI. primo apud Echinadas Insulas de Tur-
 A.C. 1573. cis reportarunt.

§. CXVI.

*Germanorum Collegium Romæ
 auctum.*

Bullar. t. 2. *Const. 14.* **H**oc item anno summus Pontifex Ger-
 manorum Collegium, a Julio III.
 constructum, atque ob redituum tenui-
 tatem ferme abolitum Romæ restaura-
 vit, assignatis decem aureorum milli-
 bus, quæ ex ærario Pontificio tamdiu
 penderentur, donec æqualem pecuniæ
 summam hoc Collegium perpetuo jure
 acquirere posset, cujus subsidio ex uni-
 versa Germania, aliisque finitimis Pro-
 vinciiis centum juvenes tam in lingua-
 rum studio, quam humanioribus lite-
 ris, liberalibus artibus, & Theologia
 imbuerentur, eo fine, ut in sua patria
 digne Ecclesiis deservire, atque hære-
 ticos confundere valerent. Ceterum
 hujus Collegii cura Jesuitis fuit de-
 mandata.

§. CXVII.

*Othonis Truschesii Cardinalis Au-
 gustani obitus.*

*Ciacon. in
 vitis Pontif.
 t. 3. p. 692.* *Jacobus
 Pontan. in* **M**ense Aprili ejusdem anni Romæ
 obiit Cardinalis Otho Truschesius
 de Waldpurg natione Germanus, Au-
 gustæ in patria sua Episcopus, Filius
 Gui-

Guilielmi Baronis de Waldpurg, & Sæcul. XVI.
 Joannæ, quæ Friderici Comitis de Für- A. C. 1573.
 stenberg Filia erat. Hic Tubingæ pri-
 mis literarum rudimentis sub Lucæ *atticis bel-*
 Lundastri magisterio non sine maximo *lariis Au-*
 profectu instituebatur, & dein Dolen- *bery vie des*
 sem in Burgundiæ Comitatu, necnon *Cardin.*
 Patavinam, & Papiensem Universita-
 tes frequentabat, inde vero Bononiam
 petens ibidem jurisprudentiæ operam
 dedit, Magistro usus Hugone Boncom-
 pagno postea Pontifice sub nomine Gre-
 gorii XIII. Eodem tempore Otho studio-
 rum socios habebat Alexandrum Far-
 nesium, Christophorum Madrutium,
 & Stanislaum Hosium omnes Cardina-
 les, quibuscum arctam semper conserva-
 bat amicitiam: demum vero in Ger-
 maniam redux Augustanæ Ecclesiæ
 Canonicus, ac postea Decanus Triden-
 tinus est renunciatus, Romamque con-
 tendens Paulo III. a cubiculis erat:
 Anno autem Salutis nostræ millesimo
 quingentesimo quadragesimo tertio in
 Concilii Tridentini negotiis ad comi-
 tia Norimbergensia ablegatus, eodem
 anno Ecclesiæ Augustanæ Episcopus
 creabatur, sequenti vero anno insuper
 a summo Pontifice Romana purpura,
 licet absens, honorabatur, nominatus
 Cardinalis titulo sanctæ Balbinæ: cum
 dein Tridentinæ Synodo interesse
 præ-

Sæcul. XVI præpediretur, eo decreverat Theologum suum Patrem Jajum unum ex primis decem sancti Ignatii Sociis. Denique Otho Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo octavo die duodecima Novembris Augustæ Synodum celebrabat, in qua pro Cleri, ac laicorum emendatione plura admodum salutaria condidit statuta, simulque decreta a Cardinale Campeggio sancita innovavit.

A.C 1573.

Postquam idem Otho Julii III. jussu ad titulum sanctæ Balbinæ cooptatus fuerat, hanc Ecclesiam ruinæ proximam restauravit, ac magnificis picturis exornavit: denique Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo Dilingæ Jesuitarum Collegium erexit, aliudque Augustæ construxit, seque pariter declarabat Protectorem Germanici Collegii in eorundem Patrum favorem Romæ a præfato Papa inchoati: Postea a Pio IV. ad titulum sanctæ Mariæ Transtyberin vocatus, necnon Albanensis Episcopus creatus præter alios Cardinales seligebatur, ut sacræ Inquisitionis tribunali præesset: insuper proficiscebatur in Germaniam, ut Rudolphum, atque Ernestum Archiduces Maximiliani Imperatoris Filios in Hispaniam comitaretur, qua occasione Tridentum veniens Synodo Anno a partu
Vir-

Virginis millesimo quingentesimo sexagesimo tertio absolutæ intererat, ibidemque tribus septimanis substitit, ut Udalicum Helfensteinii Comitem magni nominis Virum, qui Sectariorum errores ejuraverat, in fide Catholica corroboraret: anno autem Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo a Pio V. ad Prænestinam Ecclesiam promotus Archiconfraternitatem Sanctissimæ Trinitatis administrandam suscepit, tandemque extremum diem clausit non sine maximo omnium luctu ob ingens hujus Viri studium erga Religionem Catholicam.

§. CXVIII.

Cardinalis Aldobrandini mors.

Pariter sequenti Mense Septembri factis fungebatur Cardinalis Joannes Aldobrandinus Sylvestri Aldobrandini, & Læfæ - Deti nobilissimæ Florentiis Matronæ Filius, necnon frater Hypolithi Aldobrandini, qui Pontifex electus nomen Clementis VIII. assumpserat: cum autem Joannes Patris sui vestigiis insistere cuperet, hinc æque, ac ille sese jurisprudentiæ studio dicabat cum tanto progressu, ac tam luculento innocentiae, & comprobatae probitatis argumento, ut Anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo quin-

Sæcul. XVI.

A.C. 1573.

Ciaccon.

pag. 1054.

Aubery l. 6.

Sæcul. XVI. quagesimo quarto cedente Patre suo
A. C. 1572. Consistorii Advocatus crearetur, quo
 tamen munere haud diu functus Anno
 Christi millesimo quingentesimo quin-
 quagesimo sexto Romam vocatus Rotæ
 Auditor nominabatur, anno autem Sa-
 lutis reparatæ millesimo quingentesimo
 sexagesimo nono Imolensis Episcopus a
 Pio V. renuntiatus fuit, ubi suo Zelo,
 & charitate totius sui gregis applausum,
 venerationemque sibi conciliabat, tan-
 tam nominis sui famam sibi comparans,
 ut idem Pontifex ejus consiliis usus
 eum ad se accerferet, atque anno Do-
 mini millesimo quingentesimo septua-
 gesimo Cardinalem Presbyterum titulo
 sanctæ Susannæ crearet. Paulopost
 Joannes unacum ceteris Cardinalibus
 ad sollicitandum inter Christianos Prin-
 cipes fœdus contra Turcas selectus est,
 & dein cum Cardinalis Borromæus
 Magni Pœnitentiarii muneri cederet,
 atque ad suam Diæcesin Mediolanen-
 sem regrederetur, eidem in hoc munere
 successit, simulque Præfectum Signa-
 turæ, ut vocant, Brevium egit.

§. CXIX.

Claudius Gousta mortuus.

Dupin Bibl. des Auth. Eccles. t. 16. pag. 119. Inter Scriptores Ecclesiasticos circa
 idem tempus vivis ereptos præpri-
 mis recensetur Claudius Gousta Seno-
 nensis

nensis urbis Præfectus, qui in Ecclesiam
 edidit quemdam de potestate regia
 tractatum, primo apud Senones in lin-
 gua latina, & Gallica Anno millesimo
 quingentesimo sexagesimo primo typis
 vulgatum, ac demum primo tomo Mo-
 narchiæ Goldasti insertum. Ceterum
 Claudius ad elucubrandum hoc opus
 ansam arripuit ex quadam propositio-
 ne, quæ in aliquo colloquio circa Re-
 ligionem propugnabatur, ubi quæstio
 fuit agitata, an huic confessui Eccle-
 siastici, vel Laici præessent; Claudius
 igitur hanc provinciam Laicis vindi-
 cans in suo tractatu asserere audebat,
 quod Regi competeret ibidem præesse,
 decidere, ac statutorum, quæ tum con-
 derentur, executionem urgere: ut au-
 tem suam opinionem comprobata red-
 deret, in hunc finem exempla quorum-
 dam Cæsarum proferebat, qui Con-
 cilia indixerunt, ac moderati sunt,
 saumque in Synodis locum obtinue-
 runt. (*)

Sæcul. XVI.
 A.C. 1573.

§. CXX.

(*) Notum est omnibus sana doctrina im-
 butis, quod Cæsares nequaquam Ecclesiasti-
 cam Concilia convocandi auctoritatem, qua
 hæreses damnandi, schismata extinguendi,
 vel sacros Canones ad sancendam Ecclesiæ
 disciplinam condendi jus haberent, sibi arro-
 garint,

Hist. Eccles. Tom. XLIX.

N garint,

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

§. CXX.

Michaelis Medinæ extrema.

Hoc item anno Michael Medina ex Ordine Fratrum Minorum mortalitatem exiit, qui in quodam Cordubensis Diæcesis oppido natus ab Alphonso

garint, sed potestatem duntaxat civilem exercuerint, eo fine, ut Canones a Synodo sanciti in forensi etiam iudicio vim legis obtinerent, & per omnes Provincias in usum deducerentur, & pariter contumaces hæretici regia etiam auctoritate comprimerentur: præcipue enim olim prævalentibus Infidelibus, atque hæreticis Principum auctoritas in Synodorum celebratione erat necessaria, ut Ecclesiæ laboranti suppetiæ ferantur, nam prioribus sæculis Ecclesia nullum temporale dominium habebat, neque tunc Republica erat in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica, ut ait S. Optatus, hinc necesse erat, ut Principes in suis ditionibus quamdam urbem pro Synodo designarent: præcipue quia Principum sumptibus Synodi celebrabantur, atque Episcopi confluentes alebantur, necnon hinc inde deducebantur, legibusque profanis cautum erat, ne Concilia absque *permissu* Cæsarum haberentur, *nunquam* tamen, ut ait S. Athanasius in Epist. ad solitar, vit. *iudicium Ecclesiæ, seu Concilii ab Imperatoribus auctoritatem habuit,*

phonso de Castro literas didicerat, & ^{Sæcul. XVI.}
 præclaros in Theologia, Historia, ac ^{A. C. 1573.}
 linguarum Orientalium peritia progres-
 sus fecerat. Ceterum ex præcipuis,
 quæ

buit, absque auctoritate Pontificum, vel per
 se, vel per suos Legatos præsentium, ac
 Conciliorum decreta aut tunc aut postmodum
 confirmantium: itaque Pontifices ad Conci-
 liorum conuocationem iure, & auctoritate
 Ecclesiastica, Principes vero *monitis, & per
 ministerium*, ut de Constantino Imp. Patres
 VI. Synodi, & Sozomenus ajunt, necnon
 per suum auxilium, atque assensum concur-
 rerunt. Haud abs re erit, sancti Antonini ver-
 ba hanc in rem allegare: „sciendum est, in-
 „quit ille in sua summa part. 3. tit. 23. cap. 2.
 „§. 7. quod priscis temporibus, in congrega-
 „tione Conciliorum semper interfuerint Impe-
 „ratores. . . . Ideo autem hi communiter
 „Concilia congregabant, quia tunc Ecclesia
 „male poterat uti potestate sua propter ad-
 „uersitates, & diuersitates, quas patiebatur
 „ab hæreticis, quibus aliquando favebant
 „magni Principes, & Reges, unde statim, cum
 „potuit, hoc correxit, & non per Principes,
 „sed per se Concilia convocavit & aliquando per
 „Imperatores præcipiente Ecclesia celebrata,
 „sunt Concilia, aliquando ipsa rogante & post-
 „ea aliquando ipsa auctoricante, aliquando
 „ipsa ratificante.”

Sæcul. XVI.
A.C. 1573

quæ edidit, operibus celebratur latinus liber, cui titulus: *Christiana Pærænesis, sive de recta in Deum fide*. Hoc opus in septem libros divisum anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Venetis literis excusum prodiit: insuper alium edidit tractatum de *Sacrorum hominum continentia*, ubi de Episcoporum, Sacerdotum, aliorumque Ministrorum institutione agit, ac Sub-Diaconatum Sacramentis non accensere videtur, ubi pariter etiam cunctis, quæ contra Presbyterorum Cælibatum objici solent, respondet. Præterea Medina adhuc alios conscripsit tractatus, quos inter numerari merentur libri de Indulgentiis, Purgatorio, salutari Pœnitentia, humilitate Christiana, & restitutione, præter expositionem quarti articuli in Symbolo, necnon apologiam pro Fero Ordinis sui Religioso adversus Dominicum Soto. Hic Author sat eleganti utebatur stylo, cunctaque argumenta cum ingenti eruditione pertractabat, atque in Patrum, ac Conciliorum lectione versatissimus erat.

§. CXXI.

Andree Masii fata.

Valer.
Andr. Bibl.
Belg.

Ad Mensẽ Aprilem hujus anni pariter revocatur obitus Andree Masii, qui merito inter celebriores Ecclesiasti-

fiafticos Scriptores numeratur. Is in
 exiguo prope Bruxellas oppido natus
 tam in Philosophia, quam jurispru-
 dentia, necnon idiomatum Oriën-
 talium peritia percelebris evasit, qui-
 bus dotibus locupletatus tantum sibi in
 Italia, Germania, & Belgio nomen
 comparabat, ut Clivienfi Duci a con-
 siliis secretioribus esse meruerit: at-
 tamen ætate præmatura in ejusdem
 Principis ditionibus ex hydropisi de-
 cessit: posteris tamen reliquit. I. Gram-
 maticam Syriacam. II. Disputationem
 de cœna Domini. III. Explicationem
 Historiæ Josue. IV. Tractatum, cui
 titulus: *Syrorum peculium*. Ceterum
 ejus liber de Josue plurium Doctorum
 censuris erat obnoxius, nihilominus
 Mafius a Philippo II. Hispaniæ Rege
 Antverpiam mittebatur, ut unacum
 Aria Montano, & Fabritio edendis
 Bibliis Polyglottis infudaret, quo e-
 tiam labore sibi commissio prorsus egre-
 gie defunctus est, simulque ex Syriaco
 latine reddidit librum Moyfis Bar-
 cephæ circa paradisum: insuper in idem
 quoque idioma transtulit liturgiam Divo
 Basilio adscriptam, necnon duas fidei
 professiones Antiochiæ a Moyse Mar-
 dena Jacobitarum Patriarcha editas,
 præter duas Nestorianorum literas,

Sæcul. XVI:
 A. C. 1573.

Spond. an-
 nal. n. 16.
 Thu. l. 56.

Sæcul. XVI. ubi præcipue earum authographis in-
 A.C. 1573. sistere studuit.

§. CXXII.

Hospitalii Cancellarii mors.

*Addit. aux
 mem. de Ca-
 ste. n. p. 484.
 Thu. l. 56.
 San. Marth.
 elog. Doct.
 Gall.*

In Galliis quoque mundo valedixit hoc
 anno Michael Hospitalius, tam do-
 ctrina, quam morum integritate, ani-
 mi constantia, ac prudentia celebris,
 qui anno Christi millesimo quingente-
 simo tertio Aquæ-Speris in Alverniis
 natus erat, Patremque habuit Cardi-
 nalis Borbonii Medicum. Hic idem in
 celebrioribus Franciæ, atque Italiæ U-
 niversitatibus jurisprudentiæ operam
 dedit, linguarumque peritia, ac latina
 Poesi clarus evasit, qua scientiarum lau-
 de inter præcipuos ejusdem studii Viros
 eminere videbatur, atque anno salutis
 nostræ millesimo quingentesimo vigesi-
 mo secundo in Parisiensi Senatu Consi-
 liarius, postea libellorum supplicum
 Magister, ac supremi Consilii Senator,
 necnon in regii ærarii Curia Præses, &
 Margaritæ de Francia, Bituricum, &
 Sabaudia Ducissæ, ac denique totius
 Franciæ Cancellarius renuntiabatur,
 mortuo Francisco Oliverio, quem sem-
 per inter suos amicos numerabat, illius-
 que munere functus ad omnia majoris
 momenti negotia usque ad annum Sal-
 vatoris nostri millesimum quingentesi-
 mum

mum sexagesimum octavum operam Sæcul. XVI.
A.C. 1573.
 suam impendebat, cum autem Regina
 Mater illius fidem Regi Filio suo sus-
 pectam redderet, regia sigilla Joanni Mor-
 villerio Aurelianensi Episcopo reddere
 cogebatur, quia injuria permotus Ho-
 spitalius prope Stampas Vignanam ad
 villam suam sese recepit, ubi etiam die
 decima tertia Martii obiit.

Hic vir cum circa religionem pluri-
 mum vacillare videretur, hinc animo
 suo Calvinii sectam fovere, a pluribus
 fuerat accusatus, quamvis exterius Ca-
 tholici viri partes explere se simularet, &
 Missæ sacrificiis interesset, vetitisque
 diebus ab esu carniū abstineret, unde
 natum est illud proverbium omnibus il-
 la ætate sat familiare: *avertat Deus a
 nobis Missam Cancellarii*; cunctis enim
 probe persuasum erat, quod illius exi-
 guam rationem, fidemque haberet.
 Hanc ob rem etiam ipse cum aliis in die
 Sancto Bartholomæo sacra regno pro-
 scribebatur, ejusque Filia Belesbati
 conjux, quæ cruenta illa die Parisiis
 erat, cum pluribus aliis periisset, nisi
 Nemorsæ Ducissæ patrociniō tuta fuis-
 set: illi vero, qui Hospitalii orthodo-
 xiam vindicare nituntur, sinistram de
 ejus fide opinionem passim conceptam
 familiari adscribunt commercio, quod
 cum quibusdam ex præcipuis Calvinia-

Sæcul. XVI.
A. C. 1573.

næ sectæ affectis fovebat: interim alii id ejus consiliorum moderationi in infligendis hæreticorum pænis, necnon ejusdem oppositioni adversus Guisiorum molimina attribuunt: nihilominus haud inficiari possumus, quod suos nepotes in nova hæresi studiose educari curaverit, prout ipsimet facti sunt, postquam ad veram fidem Catholicam redierant: insuper in sui testamenti tabulis nec de Deo, nec de Religione, nec de precibus pro animæ suæ requie fundendis mentionem fecerat. Ceterum illius corpus Chamotium ad ejus villam prope Fontem-Bellaqueum fuit delatum, ubi etiam illius monumentum cernitur.

§, CXXIII.

Sanctus Carolus Borromæus Mediolanum reversus.

*Giuffanovie
de S. Char-
les l. 3. c. 1.*

Interea Sanctus Carolus Borromæus immoto studio disciplinæ Ecclesiasticæ in sua Diœcesi restaurandæ insudabat, & quamvis Romam, ut post Pii V. obitum sacris comitiis interesse posset, proficisci juberetur, & ob hoc iter tertium suum Concilium Provinciale, quod ad annum Christi millesimum quingentesimum septuagesimum secundum indixerat, differre cogeretur, postquam tamen Gregorius XIII. in Papam electus erat, Carolus per integrum ferme semestre

stre ob Ecclesiæ negotia Romæ substitit, ubi interea novo Pontifici salutaria admodum monita propinabat, tandem autem in Papæ manibus Magni Pænitentiarii munus Cardinali Aldobrandino collatum, pluraque alia abdicavit officia, quorum sollicitudine illud ipsum tempus tribuere cogebatur, quod tamen integrum populi sui, cujus Pastor erat, curæ impendendum censebat. Præterea Hispaniæ, & Lusitaniæ Regibus utriusque hujus regni, ac Provinciarum præsidium, imo id omne, quod ipsum vel Romæ detinere, aut illuc revocare possit, ultro cedebat: ecquidem hucusque primam suam Aronensem Abbatiam retinuerat, eo fine, ut illam vel ad Ecclesiam Collegiatam eveheret, Romæ tamen adhuc commorans ad dotandum collegium non ita pridem Jesuitis commissum hujus Abbatiae redditus impendendi facultatem obtinuit.

§. CXXIV.

Concilium Provinciale III. Mediolani celebratum.

Borromæus Mense Octobri Roma discessit, atque totam hyemem exquendis statutis jam antea promulgatis, necnon prosequendæ morum emendationi jam antea inchoatæ impendebat, præcipue vero operam suam dicabat re-

*Labbe Col-
lect. Concil.
t. 15. p. 367.
& seq.*

Sæcul. XV.
A. C. 1573.

ligiosis Virginibus, quas ad exactum regulæ suæ studium revocaverat, simulque cuncta pro convocando tertio Provinciali Concilio suo necessaria disponebat; illud enim ad diem vigesimam quartam Aprilis Anni Salutis nostræ millesimi quingentesimi septuagesimi tertii indixerat, idemque eodem tempore re ipsa inchoaverat, ubi plura decreta, ac saluberrimas condidit sanctiones circa festorum sanctificationem, atque erigendas doctrinæ Christianæ Scholas, disciplinam Ecclesiasticam, Sacramentorum, ac præcipue Infantum expositorum Baptismi administrationem: edidit quoque decreta circa Eucharistiam ad infirmos deferendam, celebrationem Divini Officii, Parochorum, Canoniorum, & Religiosarum Virginum munia. Absoluto hoc Concilio, Carolus illius acta per Castellum suum Vicarium Generalem ad summum Pontificem transmisit, eique injunxit, ut Sanctitati suæ exponeret quædam monita admodum utilia, quæ tangerent res private suæ Ecclesiæ Mediolanensis, quam ceterarum regimen, præcipue necessitatem Synodos in omnibus Provinciis celebrandi, nam hæc res tum in pluribus Metropolitanis Ecclesiis negligebatur.

§. CXXV.

§. CXXV.

Sæcul. XVI.

A. C. 1573.

*Carolus a Mediolanensi Governatore
vexatus.*

Cum Sanctus hic Archipræsul tam pie *Giuffano l.*
sui muneris partes exleret, in ejus *3. c. 1.*

Diæcesi circa Jurisdictionem Ecclesia-
sticam novi suscitabantur tumultus;
quippe cum Albuquerque Dux Medio-
lanensis Governator fatis functus fuis-
set, Alvaresius Arcis Præfectus, qui in-
terea subrogatus fuerat, suum ingres-
sum festiva diversarum bestiarum vena-
tione augustiorem reddere studebat, at-
que ad id aream, quæ ante Ecclesiam
erat, seligebat: verum pius Cardina-
lis hoc spectaculum ibidem exhiberi sub
anathematis pæna interdixit: equidem
paruit primo Governator, hancque fe-
stivitatem e regione arcis institui jussit,
ejus tamen animo ob injuriam, quam
sibi exinde ab Archiepiscopo illatam fal-
so existimabat, tam alta infederat indi-
gnatio, ut eidem molestias illaturus, quos-
dam Nobiles sollicitare niteretur, quate-
nus in diebus ab Ecclesia pietati fidelium
sacratis choreas agerent, & ludicra spe-
ctacula exhiberi juberent: verum fru-
stranea erant ejus molimina, quippe in
Archiepiscopum vehementer ira com-
motus infelicem exhallabat animam.

Huic

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

Huic Requesenes supremus Castellæ Commendator Vir ad Ducatus regimen apprime idoneus successerat, quem Cardinalis sub Pii V. Pontificatu Romæ jamjam sibi cognitum habebat; cum autem hic idem postea Hispaniæ Regis Orator renunciatus esset, Borromæus inde spem conceperat, fore, nullam sibi contentionem circa Jurisdictionem Ecclesiasticam ab eo suscitatum iri: attamen pium Præsulem sua spes fefellit; novus enim Gubernator perverforum consiliis seductus ad tam atroces prolabebatur violentias, ut eas tolerare Sanctus Cardinalis nefas fore crederet, quippe Gubernator Mediolanensi cuidam Nobili, cum in re mere profana quoddam diploma Apostolicum a se obtentum in usum deducere vellet, eo uti absque regionum Judicum venia inhibuit: Pontifex tamen indignam hanc agendi rationem edoctus Gubernatori denuntiari jussit, quod censuris sit irretitus, hinc eum hortatus est, ut Ecclesiastico hoc vinculo solvi peteret, quam quoque veniam per Joannem Paulum ab Ecclesia Cardinalem, qui tum Mediolani agebat, recepit: Sancto enim Carolo tum absente, suamque Diæcesin lustrante hæc gesta fuere: attamen levis hic turbo veluti præfagium erat longe sævioris tempestatis, ex qua mala admodum

dum funesta sequebantur: etenim duo
præterfluebant anni, ex quo Catholici
Regis Ministri, qui eundem suum Prin-
cipem falsis suis relationibus decepe-
rant, mandata Ecclesiasticæ jurisdictioni
admodum noxia impetrabant, cum
vero hæ literæ nonnisi dolosis ar-
tibus fuissent extortæ, Ministri eas pro-
ducere minime audebant: non deerant
tamen nonnulli factiosi homines, qui
rem edocti Governatorem de hisce lite-
ris certiolem redderent, eumque adeo
dextre sibi conciliarent, ut illum eo in-
ducerent, quatenus mandati literas ab-
sente Archiepiscopo illius Vicario Ge-
nerali intimaret. Borromæus mox re
comperta Mediolanum revertitur, ac
Joannem de Ecclesia Cardinalem rogat,
ut sua auctoritate Governatorem ami-
cum suum eo inclinare satageret, ne
hisce literis uti, aut ullo modo jurisdic-
tionis Ecclesiasticæ usum interturbare
vellet. Verum frustraneæ erant hujus
Cardinalis æque, ac Sancti Caroli pre-
ces, quamvis hic summa uteretur man-
suetudine: cum ergo Sanctus Archipræ-
sul rationum momenta incassum opponi
cerneret, Ecclesiasticæ pænæ minas
adjecit, ut saltem pertinaci metum in-
cateret, quin tamen hasce censuras in
Virum alias in profana dignitate con-
stitutum vibrare intenderet: nihilomi-
nus

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

Sæcul. XVI
 A.C. 1573.

nus indocile Gubernatoris genium Sanctum Archiepiscopum eo compulit, ut suam causam consuetis iustitiæ mediis prosequeretur: quapropter per suum Vicarium Generalem primum, ut vocant, monitorium eidem tradi iussit, quod tamen mox in frustra discerpebatur, quinimo secundæ etiam monitionis literæ eadem indignitate excipiebantur: insuper Gubernator suam agendi rationem edito diplomate latina, atque Itala lingua concepto vindicare, ac Cardinalis actionem tanquam violentam, nulloque pacto ferendam traducere præsumebat: unde Sanctus Archiepiscopus extrema adhibere media compellebatur: igitur Viris non minus doctis, quam probis sæpius in consilium vocatis, petitoque summi Pontificis consensu declarat, quod Gubernator æquæ, ac Cancellarius, & nonnulli Senatores anathematis pœnam incurrissent, juxta summorum Pontificum diplomata contra jurisdictionis Ecclesiasticæ Usurpatores edita: insuper præcepit, ut hæc sententia promulgaretur, atque in diversis publicis locis affligeretur: ipse vero mox totam rei gestæ seriem ad Papam perscripsit: verum propterea Gubernator adeo non majorem exhibebat submissionem, ut etiam hanc pœnam veluti nullam, atque injustam traduce-

ret,

Sæcul. XVI.
A.C. 1573.

ret, scriptumque sat prolixum ederet, in quo suam iniquitatem, confictis obtentibus, cum firmæ deessent rationes, honestare moliebatur, totamque culpam, ac censuram in Cardinalem retorquebat, eoquod illius agendi ratio, ut mentiebatur ipse, temeraria, ac tranquillitati publicæ noxia esset: præterea hi, qui Governatorem ad hanc nequitiam induxerant, nullum non movebant lapidem, ut illum magis adhuc irritarent adversus Archiepiscopum, qui tamen suam causam nonnisi precibus, ac lacrimis pro Governatoris salute ubertim profusus defendere, hancque litem componere satagebat.

Ast Governator vindictæ stimulis agitatus inhibuit, nequis ad quemcunque pietatis conventum a Sancto Præfule Mediolani stabilitum accederet, nisi suo nomine quidam ex Magistratu interesset, eo fine, ut non ibidem, prout obtendebat ipse, quicquam Regis Catholici obsequio adversum ageretur: præterea mandavit, ne pœnitentes instructo supplicantium ordine cooperta facie incederent: denique, cum Cardinalis Aronensem arcem possideret, Governator Anguisciolæ Comiti, qui Comensi urbi præerat, negotium dedit, ut admotis suis copiis hanc arcem occuparet. Hujus violentiæ causam idem Governator.

Sæcul. XVI

A.C. 1573.

~~WOLFFENBUTTEL~~

bernator obtendebat, quod præfatam arcem in Ducatus Mediolanensis finibus sitam, nequaquam illorum, quorum fidelitatem sibi suspectam haberet, potestati relinquere posset. Percepto Gubernatoris mandato Julius Beolcus, qui nomine Cardinalis hanc arcem tuebatur, mox eundem de re gesta edocet, hic vero mansuetudine plenus Julio præcepit, ut arcem Gubernatori eam petenti traderet: sub idem quoque tempus Comitem Borromæum Patrum suum rogabat, ut Gubernatorem accedens eidem exponeret, quod non modo Aronensem arcem, sed etiam cetera omnia, quæ a suæ familiæ Viris polliderentur, Regis Catholici arbitrio relinquere, eaque omnia eidem tradere paratus esset, ut ipsius fidelitas, ac immotum Regiæ Majestati obsequendi studium omnibus manifestum fieret.

§. CXXVI.

Poloniæ Regis adventus in regnum suum.

*Thu. l. 57.
Spond. hoc
ann. n. 1.*

Interea neo - electus Poloniæ Rex die decima octava Februarii Anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo septuagesimo quarto ad regnum suum pervenit, ubi Senatus, cunctique Nobiles solenni comitatu illum excipiebant, & postea idem Rex equo splendide intrato vectus

Sæcul. XVI.
A.C. 1574.

vestus sub umbraculo a Senatoribus urbis delato Cracoviam ingressus est, concinentibus undique tubis, bellique tormentis continuo fragore displofis: porro Rex usque ad arcem contendit, ubi ad Ecclesiam Cathedralē Deo sub invocatione Sancti Stephani dicatam perveniens a Canonicis officiose salutabatur, quo facto Hymnus Ambrosianus solemni ritu fuit decantatus. Altera die Rex Senatum accessit, ac per Pibracium gratias egit Senatui, equestrique Ordini, ac insuper, ut electio regno, totique orbi salutaris sit, Deum Optimum Maximum precatus, daturum operam se spondit, ut conceptæ apud illos de se opinioni cumulate respondeat. Postridie Regni Referendarius Regem Nobilium nomine salutabat, cui postquam responsum est, circa Vesperam Rex cum compluribus, qui aderant, Episcopis, & Pontificis Legato in Casimiræ rupeculam, quæ in Beati Stanislai Polonorum Patroni templo est, perrexit, ubi Sancti hujus reliquias de more deosculatus, fufis ad Deum precibus secessit: porro hanc cæremoniam Reges ante coronationem suam obire inter Polonos priscæ religionis instituto receptum est: dum vero inaugurationis dies advenerat, resque jam eoducta credebatur, ut totum hoc ma-

Hist. Ecclesiast. Tom. XLIX. O ximi

Sæcul. XVI
A.C. 1574

ximi momenti negotium absolveretur, inopinatus eventus vix non omnia hucusque agitata evertere videbatur; cum enim Gnesnensis Archiepiscopus peracta re divina consuetas preces in medio chori, ubi Rex in sublimi throno confidebat, fundere parabat, Cracoviensis Palatinus repente exurgens hunc in modum perorabat.

§. CXXVII.

Palatinus Cracoviensis sese Regis inaugurationi opponens

Thuan. l. c. „Necquaquam, ajebat hic Palatinus,
„ita fiet, sed notum omnibus esse
„volo, quod ego vos alloquens, omnes-
„que hic præsentis liberi simus, nec
„unquam permittamus, quatenus fla-
„gitioso silentio id agatur, ut deinceps
„velut mancipia perpetuo serviamus, ac
„justa tot Procerum vota, ac tot æqua
„postulata Rex frustretur, & ea, quæ reli-
„gione promisit, exequi recuset: enimve-
„ro conditiones propositæ in Regis ad-
„ventum remissæ sunt: porro nunc ille
„advenit, & tamen jam collatis omnibus
„regiæ dignitatis in ipsum ornamentis,
„de his promissis ejus nomine factis al-
„tum silentium: hinc non patiar ultra rem-
„differri, nam aut accipiendæ sunt con-
„ditiones, & in eas verbis conceptis
„jurandum, aut me huic inaugurationi
„ill-

Sæcul. XVI.
A.C. 1574.

„intercedere ajo, ac palam profiteor.„
His dictis murmur toto templo, ac fremitus obortus est: quinimo cum audacia cresceret, etiam minaces, & confusæ seditioni propiores voces auditæ fuerunt, ubi Pibracius propius Regem accedens, quædam submissa voce eidem suggerebat: mox vero ad Archiepiscopum conversus, ut pergeret, suumque officium sine cunctatione perageret, Regis nomine imperabat, subjungens, Regem de ceteris ex ordinum sententia postea decreturum. His verbis Archiepiscopus libentissime paruit, & cœptæ inaugurationi institit, quæ detumescente paulatim furore, & succedente in ejus locum pœnitentia, ac pudore, spectantibus iis ipsis, qui contradicebant, magno cum applausu peracta est, unctoque Rege corona capiti ejus de more imponebatur: Cracoviensis vero haud multo post firmata Regis potestate an ex mærore, aut fato suo, incertum, decessit.

§. CXXVIII.

*Tumultus a Protestantibus Alençonii
indignatione suffultis in Gallis
suscitati.*

Interea res in Francia haud adeo prosperè succedebant, hæreticis non nisi
novos tumultus ibidem excitare inten-

Tau. l. 57.
Avila l. 5.

Sæcul. XVI.

A. C. 1574.

tis; cum enim Alenfonius Dux, necnon Navarræ Rex, ac Condæus Princeps polliciti essent, quod aula excedere, urbesque a Calvinistis occupatas detinere, hujusque sectæ patrocinium in se suscipere vellent, ideo hujus factionis nonnulli numero circiter ducenti equis vecti, armisque instructi ductore Joanne Calvimontio Guiterio sat inopinato apparuerunt, infestisque excursionibus prope oppidum Sancti Germani in Laja, ubi tum Aula agebat, omnia sus deque vertebant, eo fine, ut Principibus magis expeditum evadendi aditum panderent. Nuntio de novis hisce motibus allato Aula haud parum turbabatur, atque ipsamet Regina omnes angulos, & latebras arcis per fidos explorari jussit: insuper mox auctor Regi extitit, ut locum mali ominis, sibi que suspectum nulla mora interjecta deferret: igitur Rex ad castrum Vicennarum, quo liberiore aura fruere, proximum urbi venit, adductis secum Alenfonio Duce, Navarræ Rege, & Condæo Principe, quos ab iis, qui illum stipabant, cautius observari præceperat; jamjam enim Condæus Princeps in Picardiam affugerat: postquam vero ceteri duo Principes a Rege ad quæstionem fuerant vocati, ingenue hæc fatebantur: „Aulam deserere fuimus sollicitati, eo fine, „ut

„ut Protestantium, & Politicorum ag-
 „mina duceremus: equidem non raro
 „illis, qui nos ad id inducere niteban-
 „tur, aures præbuimus, potius tamen
 „id a nobis factum, ut eorum consilia
 „detegeremus, quam illorum machina-
 „tionibus consentiamus: porro clande-
 „stina hæc molimina manifestare nolui-
 „mus, donec plenius rem edocti esse-
 „mus.„ His Alenfonius Dux addebat,
 quod ea de re obscuris licet verbis jam-
 jam quicquam Reginæ aperuerit, adeo,
 ut hoc sane luculentum sit sinceræ eo-
 rum voluntatis argumentum.

§. CXXIX.

*Protestantium reorum nonnulli jussu
 Regis in custodiam dati.*

Horum verbis Rex fidem adhibere vi-
 debatur, nihilominus an non secre-
 ta quædam ferret conspiratio, sum-
 ma diligentia, & severitate inquire vo-
 luit, idque negotii dedit Christophoro
 Thuano primario Præsidi, & Petro Hen-
 nequino Senatus Præsfecto: igitur quæ-
 stio de conjuratione a delegatis inchoa-
 ta est, ubi ad occultam delationem Ivo-
 nis Brinonis ex honestissima familia Lu-
 tetiæ nati, sed facultatibus lapsi, qui jam
 per famosas accusationes inopiæ subsi-
 dium quærebat, multi comprehensi sunt,
 inter quos Josephus Bonifacius Mola,

Sæcul. XVI.
 A. C 1574.

Thuan. l. 6.
 Avila l. 5.

Sæcul. XVI. Hannibal Coconassii Comes Mediolanensis, Laurentius Bosius Sammartinus, Petrus Granrius regius Dapifer, Petrus, & Franciscus Turtelus erant: insuper missi sunt, qui Guilielmum Memorantium Thorem, Henricum Turrium Turaniæ Vicecomitem, Joannem Lassinium Bellovasium, & Grancampium ipsum caperent: verum illi fuga periculo sese jamjam subduxerant. Id actum erat decima Aprilis, quæ dies in pervigilium Dominicæ Resurrectionis incidebat: postridie autem Mola, & Coconassius quæstioni subjicebantur, & ille quidem Lutetiæ a delegatis, qui tamen omnia pernegavit, hic vero coram Rege interrogatus omnem rei ordinem, uti aut ipse viderat, aut ex aliis intellexerat, confessus est.

Biduo post Alenfonius Dux auditus est, nullaque habita ratione eorum, quos huic infortunio involvit, ultro omnia fatebatur, totamque culpam in Thorem, Turanium, & Molam conjecit: nihil tamen a Navarræ Rege extorqueri poterat: tandem vero ceteri accusati, utpote convicti, quod conjurationi, & sceleratis contra Regem initis consiliis participes fuissent, tanquam læsæ Majestatis rei ad mortem damnantur, decerniturque, ut ad indicandos omnes conscios, antequam ad supplicium ducerentur.

cerentur, quæstioni exquisitæ subjicerentur: præterea Montmorentius, & Cofseus Marefcalli comprehenduntur; Condæus vero Princeps, qui Ambiani latebat, rem gestam edoctus simulato habitu unacum quibusdam suorum amicis Argentinam aufugit, & Turranius Vicecomes, ac Lafinus in Aquitanium secesserunt.

§. CXXX.

Tumultus in Franciæ regno rursus a Calvinistis suscitati.

Hoc solo facto Calvinistæ, ceterique regiminis normam exosi ad capessenda arma excitabantur: unde præprensæ hæretici arces, urbes, ac munitiora loca sibi subjicere cæperant, ut vero suam seditionem prorsus falso sese defendendi obtentu honestarent, scriptum quoddam publici juris fecerant, quod tamen mox contrario responso typis impresso, atque ad populum Parisiensem directo refellebatur. In eo Auctor in hæreticos exurgens Parisienses hortabatur, ut in vera fide constanter perseverarent, ac sedulo sibi ab hostium suorum fallaciis caverent, nec non iniquis eorum machinationibus, ausibusque fortiter sese opponerent; hoc scripto factum, ut Calvinistæ quæstionem toties agitatam recoquerent, an nimirum subdito ad suam defensionem

Thuan. &
Avila l. c.
Mazera
chron. tom.
5. p. 285.

Sæcul. XVI.
A.C. 1574. arma sumere liceat contra suum Principem, qui sua auctoritate abutitur? quod omnino licere, Calvinistæ in alio libello typis vulgato comprobatum reddere nitebantur, exinde autem magis adhuc tumultum augebant.

§. CXXXI.

Tumultus a Montgomerio in Normania excitati.

Avila &
The. l. c.
Dupleix hist.
de France t.
3. p. 316.

Postquam Montgomerius Comes in Normaniam venerat, mox ad eum turmatim Calvinistæ, ac factiosi homines magno numero confluerant, quorum ope Comes intra exiguum temporis spatium Danfronium, Carantonum, Sancti Laudi oppidum, & Valonias cepit: tot autem victoriarum rapiditas, cui accesserat metus, ne Elisabetha Angliæ Regina cum Comite conspiraret, Regem adegit, ut Jacobum Matignonum adversus eum emitteret, qui etiam Laudi Montgomerium aggressus est, atque eundem captivum abduxit, & Danfronium recuperavit: Carantonum vero, & Valoniæ nequidem expectato obsidionis impetu deditionem fecere: unde eo saltem tempore pax in hac Provincia restituta est.

§. CXXXII.

Caroli IX. Regis obitus.

Cura

Cum hæc interea gererentur, Carolus IX. Galliarum Rex diuturno languore consumptus, cum mortis suæ horam appropinquare cerneret, Matrem suam in regni Administratricem nominabat, edito hanc in rem diplomate regio, quod datum est apud Vincennas die trigesima Maji, qua etiam Rex obiit annos natus viginti tres, undecim Menses, ac viginti octo dies, postquam tredecim annis, quinque Mensibus, & viginti quinque diebus regnaverat. Postremis vitæ suæ hebdomadibus insolita prorsus patiebatur symptomata: nonnunquam enim exiliens lacertos cum maxima violentia intendebat, sanguisque per omnes corporis meatus summo impetu sese diffundebat, quinimo etiam extra poros penetrabat: inde vero Protestantes prorsus insulse observabant, quod id effectus esset divinæ Nemesis horrendam cædem ejus jussu patratam plectentis, insuper cum Regina, Andegavensium Duce in Poloniam abeunte, incautius dixisset, quod haud diu ibidem moraturus sit, hinc nonnulli hujus Regis mortem fuisse acceleratam suspicabantur: ut vero sinistra hæc opinio evanesceret, præsentibus Medicis mortui corpus a chirurgis apertum est, in quo livores a causa incognita reperti

Sæcul. XVI.

A.C. 1574.

Thuan. l. 57.

Mezeray p.

299.

Sæcul XVI

A.C. 1574

conceptam multorum opinionem auxerunt potius, quam minuerunt.

Ceterum ejus cadaver Vincennas ad Sancti Dionysii Ecclesiam solitis ritibus delatum est, ubi Arnaldus Sorbinus celebris illius ævi Concionator, & postea Nivernensis Episcopus, qui morienti adstitit, mortuo etiam oratione funebri parentavit, nec minus Romæ etiam Antonius Muretus præsentibus summo Pontifice, & Cardinalibus in laudem Regis perorabat: quinimo Angliæ Regina exequias quoque Londini in Ecclesia Divi Pauli celebrari jussit.

§. CXXXIII.

Reginæ Matris sollicitudo in sedandis tumultibus.

Postea Catharina de Medicis, cum Regni Administratrix fuisset declarata, primas eo curas intendit, ut tumultibus merito timendis præcaveret: ea propter Provinciarum Magistratus, Gubernatores, ceterosque præcipuos Regni Ministros datis literis sibi conciliare nitentibus: ut vero pariter Protestantibus indultam conscientiæ libertatem, ac cetera omnia a defuncto Rege eisdem nimis liberaliter concessa firmaret, inducias cum Rupellensibus concludi jussit: nihilominus, cum Regina hac agendi ratione accersiti Poloniæ Regis adventum

tum præstolandi spatium nancisci stude-
deret, interea Condæus Princeps hu-
cusque Argentinæ hærens Principes
Protestantes, ut vires suas copiis suis
jungerent, sollicitabat, ipse vero mili-
tes undique conscribemat, quæ temeri-
tas Reginam multum quidem turbabat,
nequaquam tamen ejusmodi hæretico-
rum ausus præpedire poterat.

§. CXXXIV.

Montgomerii Comitis supplicium.

[nterea Regina, quæ Montgomerium
Comitem promeritis pænis plecti de-
siderabat, judicii acta in eum instrui
jebet: unde tanquam læsæ Majestatis
reus pronuntiata sententia capite dam-
natur: cum autem ad loci supplicium
deduceretur, asserere audebat, quod
ob sectæ suæ defensionem moreretur,
nunquam autem suum Principem offen-
disset, ac nemini injuriam intulisset,
sed jure belli captus contra fidem de
vitæ venia datam morti adjudicaretur.
Ceterum nec apud Simonem Vigorium
Narbonensem Archiepiscopum vitæ
suæ maculas eluere, neque crucem
osculari, nec sacerdotem sibi assistentem
auscultari voluit: quinimo referunt non-
nulli, quod cuidam Fratri ex Ordine
Minorum, qui illum fuisse deceptum
ajebat, responderit; si deceptus fui,
certe

Sæcul. XVI.
A.C. 1574.

*Mem. pour
servir a l'hi-
stoire de Fr.
t. I. p. 39.
p. 40.
Thu. l. 58.
Avila l. 5.*

Sæcul.XVI.

A.C.1574.

certe a vestri Ordinis Fratribus errorem didici; ex vestro enim Ordine quidam primo tradidit mihi Gallica Biblia, ex quibus sectam, quam profiteor, hausi, in ea autem hucusque vixi, & nunc per Dei gratiam mori desidero.

Cum autem jamjam in Parisiensi foro ferale pegma conscenderet, populum rogabat, ut pro eo preces fundere vellet: ipse vero alta voce recitabat fidei Symbolum, in cujus confessione se moriturum profitebatur, precibus autem suis Genevensium more persolutis die vigesima sexta Junii capite plexus periiit, & feria secunda, seu die vigesima octava caput ejus in loco supplicii fuit palo affixum, inde tamen ad vesperam fuit sublatum, cum ita juberet Regina, quæ ejus supplicio interfuit: de cetero Comitis proles Nobilitatis gradu dejecti ad quamcunque dignitatem, munusque inhabiles declarabantur, omnibus eorum bonis ærario Regis adjudicatis.

§. CXXXV.

Injurious libellus contra Reginam Matrem.

Mezeray p.
300.

Avila l. 6.

Ob hujus Comitis mortem Protestantes impotentibus furiis adversus Reginam Caroli IX. Matrem debacchantur, eamque pluribus famosis libellis

Sæcul. XVI.
A.C. 1574.

lis in vulgus sparsis proscindebant; cum autem plures ejusmodi satyræ in ipsius Reginæ manus inciderent, Senatus contra illarum Authores, ac typographos severissima edicta condere parabat, Regina autem hæc reposuit: „si famosi „ejusmodi libelli inhibentur, iisdem hac „ratione auctoritas tribuetur, quinimo „eorum inhibitione indignis hisce scri- „tis nimius honor confertur; probor- „um enim integritas nunquam magis „elucescit, quam dum ab improbis, & „calumniatoribus invaduntur.„ Inter- ea dum compererat, quod Germani milites Franciam aggressuri iter pararent, suasque artes exhaustas esse cognosce- ret, Lutetia Parisiorum discessit sub valido satellitio, eamque Alenfonius Dux, & Navarræ Rex comitabantur, ubi cum Burgundiam pertransiret, Hel- vetiis, necnon equitibus, peditibus- que Germanis, qui Franciæ stipendia merebantur, æs militare persolvi jus- sit, eorum vero Belliduces muneribus auxit, eosque multis beneficiis devin- cire studuit. Demum Lugdunum de- lata ibidem persistere decrevit, ut vel ibi- dem eo facilius exortis tumultibus in vi- cinis Provinciis remedium opponere valeret, aut Poloniæ Regem, qui ad capeffenda Gallici sceptri jura propera- bat, adventantem præstolaretur:

Enim-

Sæcul. XVI. Enimvero Rex ad initium sequentis
 A.C. 1574. Mensis Septembris in Gallias venerat,
 ubi Angliæ Regina vix comperta ejus
 adventu mox Baronem de Nortk ablegabat,
 qui eum salutaret, rogaretque,
 ut edicta in Protestantium favorem edita
 effectui dari curaret, simulque Montmorentio,
 & Cossæo Marescallis libertatem redderet,
 quod etiam ejus precibus datum in superhabitis
 ceteris ejusdem postulatis.

§. CXXXVI.

*Henricus III. Pœnitentium sodalitati
 inscriptus.*

Tiu. l. 59. **H**enricus III. cum in suo e Polonia reditu
 Avenione aliquamdiu moraretur, atque Italorum
 magno numero ibidem existentium amicitiam
 sibi conciliare studeret, nova pietatis instituta,
 quæ ipsi magni habent, pariter exercere voluit,
 quapropter se adjunxit Pœnitentium sodalitati,
 de qua jam in prioribus hujus Historiæ libris
 mentionem ingessimus. Tum harum sodalitatum
 tres Avenione erant stabilitæ, quæ ex coloribus
 albo, nigro, & violaceo distinguebantur,
 harum autem primæ Henricus sese mancipabat,
 ac frequenter lineo sacco indutus, vultuque
 cooperto solemnibus eorum supplicationibus
 unacum ceteris interfuit,
 cum

cunctis etiam Aulicis pium Regis sui exemplum sequentibus.

Sæcul. XVI.
A.C. 1574

§. CXXXVII.

Cardinalis Lotharingii obitus.

Pariter Cardinalis Lotharingus hisce supplicationibus interesse voluit, seque numero illorum Sodalium, qui violaceas gestabant vestes, aggregavit, cum autem quondam ejusmodi exercitio vacaret, morbo correptus, ne sacri hujus ritus tranquillitatem turbaret, secedere noluit, domum vero rediit aucta mali vehementia etiam insolito quodam frigore horrere cæpit, ac succedente febre tanta vi obruebatur, ut amisso rationis usu tandem die Dominica vigesima sexta Decembris circa horam quintam matutinam decederet, anno ætatis suæ ferme quinquagesimo primo; natus enim erat Mense Februario Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto. Hic idem anno priori Mussiponti in Lotharingia Universitatem erexit, ac Jesuitas, qui ibidem literas traderent, accersivit; quippe inter ceteras, easque omnino raras animi dotes, quibus inclaruera, semper in eo eminebat ingens literas restaurandi studium: præterea erat ipsemet sat eloquens, & semper in sermonibus suis mira verborum gravi-

*Mem. l. c.
t. 1. p. 48.*

Sæcul. XVI. gravitate, & majestate clarus, atque
 A. C. 1574. insuper in rebus gerendis tam sacris,
 quam profanis mira dexteritate excel-
 lens: unde negotia vel maxime ardua
 ad optatum exitum deducebat, & quo-
 tiescunque in congressibus suam pro-
 ferebat sententiam, ea ob notam in-
 genii sui aciem prævaluit, sique tem-
 poris, quo studiis vacare poterat, an-
 gustiæ perpendantur, prorsus stupen-
 dum videtur, quod nihilominus tam
 ampla eruditione inclarescere potuerit.
 Obiit non sine maximo Catholicorum
 luctu, cum econtra Protestantes, qui
 eum tanquam hostem suum maxime
 formidandum abominabantur, de ejus
 morte tripudiarent, ejusque famam
 pluribus calumniis proscindere non e-
 rubescerent: negari tamen haud potest,
 quod præclara Ecclesiæ, Regnoque
 obsequia præstiterit, totoque vitæ suæ
 tempore pro Religionis Catholicæ con-
 servatione immotum exhibuerit stu-
 dium, quamvis suspicarentur nonnulli,
 quod nonnunquam ambitio, suamque
 familiam altius evehendi cupiditas
 hunc Zelum magis accenderit. Fer-
 tur quoque, quod Regina Mater eadem
 die, qua Cardinalis obiit, mensæ ac-
 cumbens dixerit: „nunc pace fruemur,
 „quia mortuus est Lotharingus Cardi-
 „nalis; ille enim pacem præpediisse di-
 „citur

*Addit. aux
 mem. de
 Castelln. t. 1.
 pag 280.*

Sæc. XVI.

A.C. 1573.

„citur, quod tamen a tam præclaro,
 „ac prudenti Præsule credere haud va-
 „leo, in cuius obitu tota Francia, nos-
 „que omnes plurimum amittimus.”
 Eadem die Regina Præsuli, quem a
 Confessionibus habuit, dicebat, quod
 omnium hominum nequissimus obierit,
 unde patet, quod ipsa Cardinalem in
 publico colloquio multis elogiis hono-
 rarit, privatim autem multa probra in
 eam congefferit: porro hæc opinionum
 varietas, quam Regina Mater prode-
 bat, adscribi potest insolito cuidam e-
 ventui; fertur enim, quod Regina
 mensæ assidens, cum bibere vellet, tam
 vehementi terrore correpta fuerit, ut
 vix non vitrum illi e manibus excide-
 ret, exclamans: „Jesus! Jesus! Lo-
 „tharingium Cardinalem video,” postea
 vero animum recipiens addebat. „Sa-
 „ne mira res est metus! Mentiar ego,
 „ni viderim sanctum hunc Virum mihi
 „adstantem, atque pergentem ad Pa-
 „radisi gloriam, quin imo mihi videtur,
 „quod ipsum ad cælos ascendere vide-
 „rim.” Postea per plures noctes Re-
 gina, quod Cardinalem coram adstan-
 tem cerneret, sibi imaginabatur, nec
 ejus memoriam e mente sua abjicere
 poterat, prout illæ testabantur Ma-
 tronæ, quæ Reginæ a cubi-
 culis erant.